
3 1761 06391461 8

RICARDI PORSONI

ADVERSARIA



RICARDUS PORSON.

Engraved from a Bust, taken immediately after his Death: by James Fittler, A. R. A.

Published by [illegible] Ludgate [illegible], Jan. 25. 1812.

RICARDI PORSONI ADVERSARIA

NOTÆ ET EMENDATIONES

IN

POETAS GRÆCOS

QUAS

EX SCHEDIS MANUSCRIPTIS PORSONI

APUD COLLEGIUM SS. TRINITATIS CANTABRIGIÆ

REPOSITIS

DEPROMPSERUNT ET ORDINARUNT

NEC NON INDICIBUS INSTRUXERUNT

JACOBUS HENRICUS MONK A.M.

CAROLUS JACOBUS BLOMFIELD A.M.

CANTABRIGIÆ

SUMPTIBUS COLLEGII SS. TRINITATIS

EXCUDIT JOANNES SMITH ACADEMIAE TYPOGRAPHUS

VENEUNT LONDINI APUD J. MAWMAN

MDCCCXII.

Continentur hoc Volumine,

PRÆFATIO EDITORUM.

ÆQUO ATQUE ERUDITO LECTORI.

Quadriennium prope effluxit, ex quo gravi et vix reparabili literarum damno Porsonus nobis ereptus est, cujus similem Criticum nostra ætas certe haud vidit, postera ut videat, optandum magis quam expectandum est. Is vero moriens schedas quasdam reliquit, quæ cum magnas inter doctos spes excitarunt, tum inprimis inter familiares ejus et amicos, quibus Vir egregius haud obscure indicare solitus est, se magnam rerum varietatem, non modo memoriæ, qua maxime pollebat, in custodiam dedisse, sed in chartulas etiam et librorum oras accurate diligenterque conjecisse. Quidquid legisset mente repositum servare, et in loco meditate ac lucide proferre, Porsoni fere proprium fuit. Idem tamen, siquid ei inter legendum ad rem criticam spectans occurrerat, id

omne in futuros usus recondendum putabat, literisque fidelibus committebat. Postquam igitur repentinæ mortis acerbitate expectationes, quas de inceptis ejus homines susceperant, evanuerunt, de chartis istis, librisque manu ejus ornatis, statim quæri cœpit. Hæc omnia, paucis post mensibus ab hæredibus *τοῦ μακαρίτου* pretio haud exiguo redempta, inter *κειμήλια* sua reposuit SS. Trinitatis Collegium, cujus ipse, dum vita suppetebat, decus fuit atque ornamentum. Viri igitur doctissimi, penes quos fuit rei istius arbitrium ac potestas, nos dignos judicarunt quibus id officii concrederetur, ut, commentariis istis diligenter excussis, delectuque adhibito, istinc depromeremus quidquid cum republica literaria communicandum videretur. Nos autem, aliis rebus, quarum uterque nostrum satagebat, posthabitis, omni studio enisi sumus, ut expectatione Collegii nostri et doctorum omnium expleta, Porsoni simul famæ consuleremus.

Si quis vero miretur hunc librum tam sero prodire, cum ante biennium nos isti labori destinati simus, is intelligat opus susceptum supra quam credi potest plenum difficultatis fuisse. Quippe pleraque, minutissima scriptura exarata, sine certo ordine literis mandarat Vir eximius, modo in adversaria et commentariolos, modo in librorum impressorum margines, modo in plagulas quasdam et chartas singulares conjectis, quæ-

cunque ei inter legendum visa erant notatu digniora. Quo factum est, ut non sine magno temporis et oculorum dispendio, observationes, hinc inde corrasas, suis quasque locis digerere potuerimus, et, quasi folia Sibyllina, in ordinem revocare. Hoc autem ut efficeretur, singula quæque manu nostra diligenter et exacte describenda erant. Quod monemus, non quasi de temporis aut laboris jactura quereremur, satis enim magnam operæ mercedem ducimus, bonis literis quantulumcunque prodesse, sed ne quis moram nobis cautamve cunctationem criminis loco objiciat.

Et hactenus quidem de ratione istius, quam in nosmet suscepimus, provinciæ. Jam pauca de ipsa libelli materie præmonenda sunt. Satis magnam partem observationum, quas hodie in lucem emittimus, earum præsertim quæ ad Tragicos spectant, adversariis suis Porsonus juvenis illeverat, ut abunde manus ejus testatur. Ex his autem existimare licet, qualis fuerit ejus a teneris, ut aiunt, unguiculis diligentia, qui ineunte ætate eo pervenerit, quo senes iisdem studiis innutriti rarissime enituntur. Nempe illud in Porsonum cecidit, quod de paucissimis affirmari potest, 'Non ætate, verum ingenio adipiscitur sapientia.'

Fieri autem possit in tanta tamque diversa rerum copia, nos nonnulla in vulgus edidisse, quæ auctor ipse, si in hominum cœtu versaretur,

mutata aut indicta vellet. Quod si pauca quædam hujusmodi (nam certe paucissima sunt) doctiores hic illic offenderint, idque nobis vitio vertatur, meminerint accusatores, nos veritos esse, ne, acerbiore delectu instituto, nimis arroganter egisse videremur.

Voluminis nostri primum locum tenet Oratio Inauguralis de Euripide, a Porsono apud Cantabrigienses suos habita, cum Græcarum Literarum prælegendarum munus Professorium auspicaretur. Constat eum hanc disputationem, suavitate, elegantia, et judicii subtilitate admirabilem, intra perbreve tempus, unius atque alterius diei spatium, absolvisse. Nemini vero, uti speramus, displicebit, nos pene extemporale opus in lucem emisisse. Nempe visum est neque injucundum fore neque inutile, inter tot summæ diligentiæ ac laboris monimenta, uno exemplo ostendere, quid Vir, accurata doctrina instructissimus, festinans efficere potuerit.

Prælectionem excipiunt *Observationes Variæ*, ad scriptores Atticos spectantes, quas in adversaria sua conjecerat Porsonus, quæque speciminis loco esse possint Operis Miscellanei Critici, quod ipse olim meditatus erat. Istud consilium quanta cum literarum jactura deposuerit, vel ex his fragmentis intelligi potest.

Sequitur amplissima emendationum series in Athenæi Deipnosophistas, quem librum per majorem

vitæ partem Vir egregius ita tractabat, ut vix unquam eum de manibus deponeret. Poetarum, præsertim Comicorum, fragmenta, quæ ibi conservata sunt, tanti æstimabat, lepores veneresque eorum tam impenso amore prosequebatur, ut ad hæc sananda restituendaque omnes eruditionis copias, ingenii vires, ac judicii acumen afferre solitus esset. Huc accesserunt exquisita quædam sermonis Attici perceptio, et singularis rei metricæ peritia, ab arte simul atque auribus profecta. Unde omnes Criticos, qui in hoc campo decurrerunt, longe longeque superavit: quin et illud vere affirmari potest, non tot ex Athenæo corruptelas ab universa virorum doctorum gente sublatas esse, quot ab unius Porsoni manu felici. Has vero emendationes, prope infinitis librorum et chartularum locis, et longis temporum intervallis exaratas, nos undique decerpsimus, et in unam seriem, juxta Casauboni editionem, anni 1657. qua ipse uti solitus est, disposuimus. Quod opus pene immensi erat laboris, cum eadem loca in schedis diversis, in marginibus editionum Aldinæ, Casaubonianæ, Schweighæuserianæ, prout fors tulit, sæpenumero tractasset.

Ubique ipsissima Porsoni verba edidimus, et siquid nobis explicandum erat, brevitati quam maxime consuluimus. Illud vero monendus est lector, quidquid ab Editoribus dictum est, cursiva typorum forma excusum esse,

Harum emendationum pleræque ante editum a Schweighæusero Athenæum scriptæ sunt: paucas igitur ab isto editore præceptas, ut Porsoni auctoritate firmarentur, nobis edendas esse judicavimus. Idem dictum puta de quibusdam etiam Tragicorum locis, ab aliis Criticis, prout Porsonus correxerat, postea vulgatis. Cum nonnullas emendationum in Athenæum ipse in Appendice ad Toupium, et in notis ad Euripidem, publici juris fecisset, nobis visum est verba, quibus ibi usus erat, iterum lectoribus apponere.

Cum maxime optandum videretur, ut omnia, quæ in Athenæum scripserat Porsonus, quatenus id fieri potuit, colligerentur, huc relatæ sunt duæ præstantes emendationum series, in binis exemplaribus editionum Casauboni penes Viros doctissimos, Ricardum Heber et Henricum Drury, ipsius manu exaratæ. Quæ priore libro continentur, omnia exscripsit et ad nos transmisit Vir, tum eruditionis ubertate, tum amicitia Porsoni notus, J. C. Banks. Alterum exemplar humanissime nobis accommodavit possessor. Quæ autem ex his libris dedimus, literis *R. H.* et *H. D.* designantur.

Unam Athenæi paginam, scilicet 339. a summo Critico integritati restitutam, nobiscum communicavit Vir, doctis omnibus bonisque desideratissimus, et idem Porsono amicissimus, Matthæus Raine S.T.P. qui tamen non ob id solum beneficii nobis nominandus est: quippe hujus consilio atque opera

factum est, quod hæc Porsoniani ingenii monimenta non disjecta sint et dissipata, sed in Collegii sui manus conjunctim delata.

Notulæ vero in Tragicos, quas maximam partem ex oris variarum editionum deprompsimus, pleræque non tam emendationes dicendæ sunt, quam emendandi materies, et critica supellex. De Sophocle inprimis notari potest, permulta Tragici istius loca emendasse Porsonum, quorum haud pauca, qua semper erat benignitate, amicis doctioribus indicavit, nonnulla in scriptis a se editis persanavit, ceterorum vero correctiones, nunquam chartis commissas, invidit nobis repentinus iste casus, qui Græcas literas vindice suo et statore orbavit.

Docti quidem omnes nobiscum impense optabunt, ut conjecturæ istæ, quas amicis suis impertiverat, unde unde corrasæ, et ab aliquo in singularem libellum conjectæ, olim in lucem proveniant. Nostrum vero non erat hujusmodi lacinias conquirere, quibus id tantum negoti datum est, ut schedas Porsoni apud nos adservatas publici juris faceremus.

Porro inter Comicos exiguam tantum hujus voluminis partem vindicat sibi Aristophanes; in quem tamen expoliendum semper incumbebat Porsonus, et in hoc omnes nervos intendebat: quin etiam credibile est, si vita suppeditasset, Comicorum principem demum exiturum fuisse, a principe Criti-

corum innumeris fere locis restitutum, Atticoque suo nitore postliminio donatum. In adversariis igitur exstat magna notarum copia, ad superstites Aristophanis fabulas pertinentium, quæ forsan novæ editioni aliquando occasionem dabunt. Quapropter Collegii nostri rectoribus placuit, has in aliud tempus sepositas servari.

Restant adhuc edenda, quæ in prosæ orationis scriptores, in Lexica Græca, et in auctores Latinos conscripserat Porsonus; præclara quidem ingenii ac doctrinæ specimina, inter quæ curæ ejus in Hesychium maxime eminent. Hæc ut quam celerrime publici juris fiant, magnopere cupimus. Quominus a nobis huic libro adjicerentur, obstitere rationes, quas non est hujus loci enarrare. Ibidem etiam adservatur insignis iste Photii Lexici MSti apographus, quem ex codice olim Galeano manu sua emendate descripsit Vir egregius; cujus quidem edendi curam a nemine susceptam esse vere et ex animo dolemus. Ἀλλ' ἤτοι μὲν ταῦτα θεῶν ἐν γούνασι κεῖται.

Iis profecto, qui posthuma, ut aiunt, scripta digerenda et edenda suscipiunt, utpote rem periculosæ plenam aleæ tractantibus, multa condonanda sunt. Quod si in hoc, qui hodie prodit, libello, nævi quidam diligentiam nostram effugerint, lectorem etiam atque etiam rogamus, ut editoribus potius quam auctori imputentur. Nobis tamen fas sit sperare, hoc opus haud indignum fore

Collegio, cui olim præfuerunt Viri, in suis seculis eruditorum principes, Pearsonus, Barrovius, Bentleius; quodque his nostris temporibus, inter alios complures magni nominis, summus ille Porsonus ingenio suo ac doctrina longe præstantissima illustravit.

CORRIGENDA.

Pag. 12. lin. 9. *pro* præcipue *lege* præcipuæ
51. 26. *pro ' Casaubonia' lege ' Casauboniana '*
55. antep. *lege* τραγήματά θ'
62. penult. *lege* ἑαυτὸν
78. 4. *lege* Phrynichus:
81. 1. *lege* Macho:
90. 24. *pro* πλησμονῆ *lege* πλησμονῇ
122. 17. *lege* κηρόχυτον *et* l. 20. κηροχίτωνος
143. penult. *lege* Bato:
168. 23. *pro* τάρβουσαν *lege* ταρβοῦσαν
236. 17. *pro* οἰσθήθεσθαι *lege* οἰσθήσεσθαι
273. 12. *pro* ἴσασι σ' *lege* ἴσασί σ'
297. 9. *Etymologum similiter emendaverat Hemsterhusius ad Aristoph. Plut. p.* 469. *Nihil mirum est tales viros in eandem conjecturam incidisse.*

PRÆLECTIO

IN

EURIPIDEM

RECITATA

IN SCHOLIS PUBLICIS CANTABRIGIÆ

MDCCXCII.

GRÆCARUM LITERARUM PROFESSIONIS

ADEUNDÆ CAUSA.

PRÆLECTIO

IN

EURIPIDEM.

DIGNISSIME Domine, Domine Procancellarie, cterique doctissimi Electores;

Cum hujus sive honoris sive officii ratio postulet, ut candidatus aliquid quod ad Græcum quendam scriptorem illustrandum pertineat, in his scholis publice prælegat, vos mihi hodie Euripidem, de quo verba facerem, dedistis. Uberrimam sane materiam, et omni vel optimorum ingeniorum studio ac contentione dignissimam! Sed quanto est dignior uberiorque materia, tanto impensius nobis verendum est, ne eam parum feliciter nec pro rei majestate tractemus. Et cum soleam ipse, quo minus ingenio possum, eo majus diligentia subsidium mihi comparare, hoc mihi adjumentum angustiæ temporis, quibus nunc necessario conclusus sum, denegarunt. Sed quod prima fronte per mihi incommodum accidisse visum erat, attentius rem inspicienti

minus jam minusque solicitudinis mihi afferebat. Quicunque enim Professorii hujus muneris candidatus prodire audet, is literarum simul humaniorum aliquem gustum, aliquam scientiam atque experientiam sibi arrogare videtur. Si igitur plus spatii ad cogitandum sumsissem, magnam fortasse adversariam contra me paratam haberem expectationem; quam vincere aut æquare omnino desperassem; quam denique opimus esset effugere triumphus. Nunc autem, cum extemporali pene oratione mihi utendum sit, vos, Electores dignissimi, quæ est vestra æquitas, haud sane expectabitis, ut materiæ tali vel rebus vel verbis a me satisfiat. Nihil igitur proferam, quod vobis, ne quod æqualibus quidem meis, novum, doctum, reconditum, exquisitum videri debeat: sin autem oratio mea vobis non omnino displicuerit, si tironibus forte circumstantibus tantillum arriserit, id equidem serio sum triumphaturus. Redeat ergo ad propositum suum disputatio nostra.

In Euripidem quisquis scripturus aut dicturus est, materiæ tanta abundat copia, labori faber ut desit, non fabro labor. Sed cum intra quosdam veluti cancellos hujus orationis modulum contineri oporteat, commodissimum mihi visum est, postquam strictim et breviter de generalibus Euripidearum tragœdiarum vitiis et virtutibus disputavero, paullo liberius in examinanda prima fabula, quæ Hecuba nominatur, excurrere.

Eo tempore, eo loco floruit Euripides, quo nihil ei, qui ingenium modo felix a natura accepisset, ad summam liberalium artium culturam deesse posset. In Athenis enim natus est et educatus, in ea videlicet urbe, quæ sola fuit ex antiquis Græciæ civitatibus posterorum seculis elegantiæ omnis, philosophiæ, et poeseos magistra. Eo fere tempore, tragœdiam jam Æschylus

a pristinis Thespiacorum plaustrorum sordibus purgarat, personaque et palla honesta induerat; tragœdiam sibi ab Æschylo per manus traditam novis ornamentis adeo expoliverat atque excoluerat Sophocles, ut nulla amplius de scenica poesi bene merendi facultas superesse videretur. Sed Euripides animum a teneris, quod aiunt, unguiculis philosophiæ et eloquentiæ præceptis imbutus, eloquentia sua ad honores reipublicæ adipiscendos abuti nolebat; philosophiam suam ad evellendos hominum animis nimis alte infixos errores, magistri sui Anaxagoræ casu deterritus, exercere non audebat. Ne tamen vitam suam inglorio transiret silentio, utque eloquentiam suam atque philosophiam, in quantum res pateretur, ad humanam utilitatem traduceret, ad tragœdias scribendas animum appulit, tanta diligentia, tanto successu, ut dubiam Sophocli ipsi, multorum certe sententia, palmam fecerit. Theatri præsidio fretus, ejusque quasi sub clypeo tectus et munitus, quæ palam eloqui ipsi parum tutum foret, civium animis furtim instillabat. Falsas hominum religiones, magna seculorum veneratione consecratas, atque ipsa vetustate roboratas, quas aperte oppugnare nefas existimaturos esse cives bene prævidebat, eas tecte sub persona aliena convellere aggrediebatur. Neque ceteris magis præjudiciis pepercit, quibus plerosque mortalium passim onustos videbat "Errare, atque viam palantes quærere vitæ." Quamvis vero non omnino honore et fama apud cives suos caruerit, vulgus tamen eum, dum vixit, haud prolixissimo est favore prosecutus. Ploravit scilicet et Euripides favorem speratum non respondere meritis suis; adeo ut ex septuaginta, quas docuit, forsan et pluribus, fabulis quindecim tantummodo victorias reportarit. Sed quanto injustius a populo, cum Tragœdiæ suæ in certamen committe-

rentur, neglectus fuit, tanto impensius ab iis, qui judicio paullo plus valebant, quibusque poesis et sapientia cordi erant, colebatur. Instar omnium esto Socrates, qui cum paucis esset annis minor Euripide, eum in magistri prope loco habebat; et ceteris fere poetis neglectis, fabularum Euripidearum constans et attentus spectator sedebat. Sed Euripides posterorum æquiora judicia quam suæ ætatis expertus est. Qua in re mira quædam inter eum et diligentissimum ejus imitatorem, Menandrum, intercedit similitudo. Menandro enim, teste Quintiliano, pravis ætatis suæ suffragiis sæpe prælatus est Philemon. Sed iniquam istam judicum suorum sententiam adeo nihili faciebat Menander, ut aliquando æmulum suum post ejus victoriam forte obvium interrogaret, Nonne te pudet, inquit, Philemon, me in comœdia vincere? Narrat Ælianus Euripidem, cum Andromedam doceret, aliasque duas tragœdias, a Xenocle nescio quo superatum esse. Hoc judicio vehementer, ut par erat, irascitur Ælianus, et judices aut indoctissimos esse, aut pretio corruptos, jure pronunciat. Sed Euripides unanimi omnium posterorum sententia inter principes saltem Tragicorum poetarum merito suo relatus est; et si vel inferiorem cum Æschylo et Sophocle esse largiamur, non exigua gloriæ pars fuerit cum talibus tantisque adversariis contendisse.

Verum enimvero, ut quod sentio, libere fatear, qui Æschylum Sophocli et Euripidi præferunt, errore ignoscendo quidem, sed errore tamen, ut mihi videtur, labuntur. Excusari autem facile possunt, propterea quod error eorum ex grati animi et amoris erga tragœdiæ patrem abundantia proficiscitur. Grandiloquam, sed rudem majestatem præ se ferunt omnes Æschyli tragœdiæ; et si cujusvis dramatis totum spectabimus,

aliquid semper ad summum perfectionis apicem deesse comperiemus. Ita nempe natura comparati sumus, ut eorum, qui præclari alicujus inventi auctores extiterunt, honesto præjudicio virtutes in majus augeamus; vitia vel prætervideamus, vel excusemus, vel defendamus. Veris eorum meritis multa condonamus; sed maximum fere meritum est, facem aliis ad artem suam tanto opere illustrandam præluxisse. Ob hoc solum dignus esset immortalitate Æschylus, quod Sophoclem et Euripidem ad perfectissima Tragicæ Camenæ exemplaria efformanda excitaverit. Neque enim hi sine illo tanti scenicæ Poeseos auctores unquam evasissent. In comparationibus hujusmodi instituendis semper meminerimus, quis cui temporis ordine præcesserit. Major Poeta esse potuit Æschylus; sed meliores fabulas docuere Sophocles et Euripides. Satis superque gloriæ est isti, Tragœdiæ patrem ac principem vocari; quam tamen gloriam insigni modestia cumulavit, cum in sepulcro suo nonnisi Marathoniæ pugnæ se adfuisse, ibique fortiter se gessisse, commemorare voluit.

Cum æquitatis et humanitatis lex, ut ingenuo pudore per quos profecerit, quisque profiteatur, præcipiat, Sophocles Æschylum summa reverentia semper colebat, gloriamque suam illi acceptam referebat. Euripides vero ingrati in magistrum et ducem suum animi crimine absolvi nequit. Sæpius enim in tragœdiis suis Æschyli imperitiam oblique et invidiose perstringit. Æschylus, cum eam fabulam, cui Septem contra Thebas titulum fecit, scribebat, in septem Thebanorum ducum, quos Eteocles totidem Argivis ducibus pares designaret, descriptione maxime elaboravit. Hunc locum, cum imitari se posse non speraret Euripides, frigido joco in Phœnissis irridet. Sunt et alia loca, in quibus Æschyli famam

maligno dente arrodit. Sed hæc missa faciamus, et ad id quod potius nunc instat, convertamur. Adeo verum est, quod olim cecinit Hesiodus: non solum figulum figulo, et fabrum fabro, sed poetam poetæ invidere.

Cautius agendum est, et difficilius discrimen subeundum, si Sophoclem et Euripidem inter se comparare velimus. Uterque enim propriis virtutibus elucet, et si qua vitia Euripides habet, quibus alter caret, magnis ea bonis redimit. Sophocles nullam scenam, nullam personam inducit, quæ non ad dramatis œconomiam pertineat. Chorus ejus nihil intercinit, quod non, secundum Horatii præceptum, proposito conducat, et apte cohæreat. Heroas suos, ut pietatis et justitiæ amantes, imitandos proponit, aut secus sentientes merito supplicio affecit. Interim fatendum est, Euripidem contra has regulas non raro peccare. Episodia ad fabulæ argumentum vix ac ne vix quidem facientia assuit; choro cantica prorsus a re præsenti aliena frequenter tribuit; multas impias atque improbas personis suis sententias dictat; denique, quod non parvam voluptatis partem, quam spectator aut lector capere debebat, intercipit, ita clare omnia, quæ deinceps eventura sint, in prologo enarrat, ut spes et metus, si non omnino tollantur, magna saltem ex parte minuantur. Quædam tamen in his sunt, quæ facilem excusationem admittant. Quod enim singula, quæ in fabulæ progressu accidunt, prædicit, studio perspicuitatis tribuendum est. Neque a verisimilitudine abhorret, alios ejusdem seculi tragicos, propter hujusmodi defectum, parum ab auditoribus intellectos aliquando fuisse; et hoc incommodum metuentem Euripidem, in alteram partem potius peccasse, et nimium claritati dedisse. Cogitate enim et de industria, consilio non casu, hoc eum factitasse manifestum

est; quippe qui nullam unquam fabulam sine hujusmodi prologo ediderit. Et licet a Comicis ob hoc ipsum derideretur, instituto suo ita pertinaciter adhærebat, ut avelli nequiverit. Hoc vitium Aristophanes, qui Euripidi carpendo semper invigilat, nullamque ejus exagitandi occasionem prætermittit, his verbis tangit. Euripides cum Æschylo de Tragœdiæ principatu decertans, de inventisque suis tragœdiæque scribendæ peritia glorians, ita de prologis loquitur: (*Ran.* 945.)

Εἶτ' οὐκ ἐλήρουν ὅτι τύχοιμ' οὐδ' ἐμπεσὼν ἔφυρον,
Ἀλλ' οὑξιὼν πρώτιστα μέν μοι τὸ γένος εἶπεν εὐθὺς
Τοῦ δράματος.

Sed Tragicus a more suo et consuetudine Comicorum risu abduci noluit.

Dixi paullo ante, nullam Euripidis tragœdiam sine Prologo editam fuisse. Quod cum dicebam, non eram nescius, objectionem esse paratam; sed quæ paratam quoque et expeditam habeat responsionem. Objici nempe potest, duo saltem ex novendecim superstitibus Euripidis dramatibus prologo carere; et plura adeo ex pluribus deperditis carere potuisse. Sed huic argumento respondemus primo, Rhesum, quæ altera est exceptionum duarum, Euripidi jam ab omnibus fere criticis esse abjudicatum; et hanc sententiam ad summum probabilitatis gradum perduxisse cum alios viros doctos, tum nuper Hardionium et Valckenaerium. Alterum drama quod prologo caret, est Iphigenia in Aulide; cujus sane initium, ut hodie editum est, auditorem, more Sophocleo, in medias res abripit. Sed neque hic deest quod regeramus. Cum enim Ælianus tres versus ex hac fabula citaverit, qui in dramate nostro, prout nunc habetur, nusquam comparent; cumque hi tres versus

Dianæ totam tragœdiæ constitutionem exponenti aptissime congruant; quis dubitet, prologum hujus quoque olim fuisse dramatis, sed injuria temporis jamdudum periisse? Ex deperditis fabulis multarum initia conservata habemus; unde patet, morem hunc ubique et constanter tenuisse Euripidem: multarum initia solus conservavit Aristophanes; ubi Æschylum inducit Euripideos prologos examinantem. Hinc, opinor, plane constat, non temere, sed certo judicio hoc quicquid est peccati sive erroris in se admisisse poetam. Semel in iis fabulis quæ supersunt, Sophocles a consuetudine sua ad rivalis morem deflexisse videtur; non enim absimile est initium Trachiniarum prologo Euripideo, si quem ex minime vitiosis seligamus.

At vero alia sunt, in quibus Euripides palmam a Sophocle auferre merito judicetur. Sermo ejus nativa simplicitate plurimum commendatur; quanquam non inficias iverim eum, dum verbis e medio sumtis perpetuo utitur, ad humile et abjectum dicendi genus propius nonnunquam accedere. Sophocles autem, dum vulgarem loquendi usum et formulas plebeias vitare studet, paullo proclivior est ad duras metaphoras, contortas verborum inversiones, et si qua sunt similia; quæ faciunt, ut obscurior, quam par erat, subinde evadat oratio. Cum Euripidem legimus, delectamur, et animi affectibus indulgemus; cum Sophoclem tractamus, severam profecto operam literis navare videmur. Chori denique Sophoclei, licet Æschyleis longe intellectu faciliores, plurimum tamen obscuritatis habent.

Vitium aliud Euripidis, sed dulce vitium est, quod sapientiam suam intempestive ostentat, et nutrices atque servos ex intimis philosophiæ adytis oracula fundentes inducit. Hoc fugere non poterat Nostri perpetuum

censorem Aristophanem, qui propterea eum in Ranis sic exagitat: vix opus est ut vos moneam, Viri doctissimi, Euripidem ipsum a Comico loquentem fingi; (v. 948.)

Ἔπειτ' ἀπὸ τῶν πρώτων ἐπῶν, οὐδὲν παρῆκ' ἂν ἀργόν·
Ἀλλ' ἔλεγεν ἡ γυνή τε μοι χὠ δοῦλος οὐδὲν ἧττον,
Χὠ δεσπότης, χἠ παρθένος, χἠ γραῦς ἄν.

Cui respondens Æschylus subjicit,

εἶτα δῆτα
Οὐκ ἀποθανεῖν σε ταῦτ' ἐχρῆν τολμῶντα;

Regerit Euripides, quod forsan ad res, quæ hodie geruntur, detorquere quis posset,

μὰ τὸν Ἀπόλλω,
Δημοκρατικὸν γὰρ αὔτ' ἔδρων.

Fatendum est, hoc, si modo quid fabulæ constitutio et personarum proprietates flagitent, spectemus, magnum esse vitium; vitium tamen, quod cum aliquo saltem commodo lectoris et voluptate conjunctum sit. Et quicquid in hac re peccavit Euripides, sciens et prudens peccavit. Quod autem minus ampullarum et sesquipedalium verborum Euripides adhibet quam Sophocles, in eo, ut mihi videtur, facile excusari, imo defendi potest. Certe propius hoc modo ad naturæ normam et veræ vitæ consuetudinem acceditur. Si cogitatione fingere possemus dicendi quoddam genus ex utroque poeta æquabiliter fusum et conflatum; quod nihil ex Euripide humile, nihil ex Sophocle durum retineret; haberemus forte, quod maxime ad perfectum Tragœdiæ stilum appropinquaret. Interea non diffiteor, majorem me quidem voluptatem ex Euripidis nativa venustate

et inaffectata simplicitate percipere, quam ex magis elaborata et artificiosa Sophoclis sedulitate. Hic fortasse meliores tragœdias scripsit; sed ille dulciora poemata. Hunc magis probare solemus; illum magis amare; hunc laudamus; illum legimus.

Aliæ sunt criminationes, quæ non proprie ad Euripidem spectant, sed ei communes sunt cum Sophocle. Ad has igitur, quam potero, brevissime respondebo. Præcipue fere criminationes hæ sunt; quod nimis longis narrationibus sæpe tædium facit; et quod sæpe duobus personis ita æqualiter versus dividit, ut per magnam dialogi partem altera alteram singulis versibus excipiant. Si hæc sunt vitia, vitia utique sunt, quorum neque Sophocles immunis est; nec curo, ut verbis Ulyssis de Achille utar, "si jam nequeam defendere crimen Cum tanto commune viro." Si tamen non satis hac culpæ societate defensus existimabitur cliens noster, videamus an quicquam ratione profici possit. Vitiorum, quæ modo memoravi, alterum mihi videtur ex dramatis antiqui natura et constitutione, alterum ex Græci sermonis indole et ingenio oriri. Cum Græci Tragici tempore certo et loco circumscriberentur; necessario pene id quoque consecutum est, ut intra certas materias subsisterent. Unitas, quæ vocatur, temporis et loci, unitatem etiam actionis plerumque postulavit. Non tamen semper evenire potuit, ut actio simplex satis materiæ ad justum drama explendum suppeditaret. Avide igitur arripiebant poetæ oblatam occasionem, et in narrationibus ornandis atque amplificandis libentissime excurrere et lætius exultare solebant. Nos autem, qui plures actiones in eodem dramate una conteximus, neque hujusmodi ornamenta tam studiose conquirimus; et si forte luxuriantis ingenii poeta tales lacinias operi

suo attexit, cum fabula postea reposcitur, omnes plerumque recidimus. Nimirum antiqui nimia brevitate laborabant; nos nimia longitudine peccamus. Nulla, quantum meminerim, adhuc superest tragœdia, quæ ad duo millia versuum assurgat, multæ vix ultra mille excurrunt; cum brevis nobis videatur fabula, quæ non tria saltem millia numeret.

Ad alteram accusationem jam deventum est, quæ nullo negotio diluetur. Ea est Græcæ linguæ perspicuitas, ea multum in parvo dicendi facultas, ea particularum vis et claritas, ut, una earum apte inserta, simul ad id quod prior interlocutor dixerat, respondeatur, simul sententia utraque ita constringatur et copuletur, ut ex duabus una efficiatur. Sed cum hujus effectus perceptio ex usu diuturno Græci sermonis, ex diligenti lectione, ex attenta meditatione pendeat, quid mirum, si homines indocti, cum primum Tragicos Græcos obiter et otiose inspiciunt, ad suam quisque linguam, ut fit, id quod Græcæ est proprium, revocent, et quod in suo sermone vere vitium esset, alieno sine causa affingant? Deinde Tragici mira brevitate sententiam uno versu sæpe concludunt, quæ nonnisi per longas in quavis alia lingua ambages declarari posset. Ceterum illud, credo, omnes Græce scientes libenter mihi concesserint, si Tragœdiæ, quæ superessent, longe iis quas in manibus habemus, inferiores essent; cum tamen veluti tabulæ e lugubri literarum naufragio enatarint, omni veneratione esse amplectendas, omni cura conservandas, omni diligentia pervolutandas. Nulla nobis ex antiquis monumentis restant, quorum assidua lectio junioribus majore studio sit commendanda; utpote quæ maxime ingenuam, maxime liberali homine dignam voluptatem præbeant.

Quod ad Euripidem attinet, eum sane Quintilianus non dubitavit discipulis suis, in foro dicere incipientibus, ut utilissimum scriptorem tradere. Verba facundissimi rhetoris hæc sunt. "Sed longe clarius (Æschylo) illustraverunt hoc opus Sophocles atque Euripides; quorum in dispari dicendi via uter sit poeta melior, inter plurimos quæritur. Idque ego sane, quoniam ad rem præsentem nihil pertinet, injudicatum relinquo. Illud quidem nemo non fateatur necesse est, iis, qui se ad agendum comparant, utiliorem longe Euripidem fore. Namque is et in sermone, quod ipsum reprehendunt, quibus gravitas et cothurnus et sonus Sophoclis videtur esse sublimior, magis accedit oratorio generi: et sententiis densus, et iis quæ a sapientibus tradita sunt, pene ipsis par: et in dicendo et respondendo cuilibet eorum, qui fuerunt in foro diserti, comparandus. In affectibus vero, cum omnibus mirus, tum iis, qui miseratione constant, facile præcipuus. Hunc et admiratus maxime est, ut sæpe testatur, et secutus, quanquam in opere diverso, Menander: qui vel unus, meo quidem judicio, diligenter lectus, ad cuncta, quæ præcipimus, efficienda sufficiat; ita omnem vitæ imaginem expressit; ita est omnibus rebus, personis, affectibus accommodatus." Hanc quidem admirabilem Euripidis in dicendo virtutem, dum vi veritatis coactus fatetur, callide tamen et maligne elevare conatur Aristophanes, eum vocando poetam oratiuncularum forensium. ποιητὴν ῥηματίων δικανικῶν. (*Pac.* 534.) Sed calumnias noti et professi inimici tuto spernimus. Fuit Aristophanes vir doctus, homo facetus, poeta in primis bonus; et propter purissimum Attici sermonis saporem ipsi etiam Platoni commendatissimus; sed idem fuit liberrimi oris scurra, et viris se longe majoribus indignis modis insultavit. Philosophos et poetas omni

genere conviciorum et contumeliarum vexavit; dummodo risum spectatoribus excuteret, nemini parcebat; nihil privatum neque publicum, sanctum neque profanum curabat. Hujus iniquitatem erga Euripidem Socratis amicitia, Platonis admiratione abunde compensabimus. Denique omnis posteritas, omnes gentes, ad quas quidem literæ humaniores pervenerint, Tragicum nostrum maximi semper fecere, et summo in pretio habuerunt. Testes sunt captivi Athenienses, quos, dum servitutis miserias cantandis Euripidis versibus allevabant, audientes domini liberatos dimiserunt. Testes sunt philosophi, qui Euripidi vix minus auctoritatis ad opiniones suas confirmandas, quam Homero ipsi tribuerunt. Et si criticorum suffragia desideratis, duo summi critici, iidemque philosophi, Aristotelem atque Longinum intelligo; critici, quorum ex alterius utrius suffragio satis magnum cuivis sententiæ pondus accederet, uterque in Euripide summis laudibus ferendo amicissime conjurant. Sed ex omnibus philosophorum disciplinis, nulla erat quæ libentius poetarum testimonia usurparet, quam Stoicorum. Hujus sectæ princeps Chrysippus tam frequenter in quodam libro suo versus ex Euripidis Medea pro testimoniis posuerit, ut is liber a festivis hominibus Chrysippi Medea vocaretur. Et vix quisquam est doctrina clarus rhetor, aut ullius generis scriptor, qui non ad Nostri testimonium aliquando provocet, aut versus ejus ornamenti saltem et varietatis gratia orationi suæ intexat.

Hæc de generali Euripidis indole hactenus dixisse sufficiat. Nunc ad paullo minutiora descendamus, sumamusque particulam aliquam ex operibus ejus, e qua si non ingenium nostrum, saltem industriam acuamus. Dixi equidem, si bene memini, in initio hujus

disputationis meæ, me Hecubam hoc consilio sumturum. In Hecuba igitur, Polydori umbra primo apparet, et secundum perpetuam Euripidis consuetudinem ea narrat, quæ melius, opinor, ex artificiosa rerum et dialogorum in dramatis decursu dispositione discerentur. Poterat enim facillime fabulam aperire ipsa Hecuba. Poterat narrare portentosum et terribile, quod modo viderat, somnium, et consilium ex Trojanis mulieribus, captivitatis suæ sociis, exquirere. Quid pronius erat quam hac occasione omnia ista quæ de se et Polymestore Polydorus narrat, omnia scilicet quæ ad spectatorum intelligentiam pertinerent, explicare? Non equidem diffiteor, prima Polydori verba plena esse majestatis et gravitatis tragicæ:

> Ἥκω νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας
> Λιπὼν, ἵν' Ἅιδης χωρὶς ᾤκισται θεῶν,
> Πολύδωρος, Ἑκάβης παῖς.

Hos versus respexit Tragicus Romanus nescio quis, forsan Ennius, quem Cicero in Tusculanis Disputationibus citavit: *Adsum atque advenio ex Acherunte vix via alta atque ardua, Per speluncas saxis structas asperis, pendentibus, Maximis, ubi rigida constat crassa caligo inferum.* Ridicule, ut solet, in ludicrum sensum detorsit Aristophanes, cujus locum servavit Athenæus:

> Ἥκω Θεαρίωνος ἀρτοπώλιον
> Λιπὼν, ἵν' ἐστὶ κριβάνων ἑδωλία.

Adsum, relicta Thearionis pistoria taberna, Ubi sunt furnorum sedes. Thearion pistor erat, Socratis et Aristophanis tempore celeberrimus. Totum versum etiam alio loco, quem eidem Athenæo debemus, adhibuit Comicus; ait enim,

Καὶ τίς νεκρῶν κευθμῶνα καὶ σκότου πύλας
Ἔτλη κατελθεῖν;

Narrat deinde Polydorus se a Priamo, jam Trojæ saluti metuente, clam ad Polymestorem Chersonesi Thracii regem cum magno auri pondere missum, et dum Trojæ arces stabant, *Τροφαῖσιν*, inquit, *ὥς τις πτόρθος, ηὐξόμην τάλας.* Quis est vestrum, Auditores, cui non in mentem statim veniat Homerici illius versiculi, *ὁ δ' ἀνέδραμεν ἔρνεϊ ἶσος.* Hanc narrationem Polydori credibile est Virgilium in animo habuisse, quanquam is in historiæ circumstantiis quibusdam ab Euripide discrepat. Sed Trojæ excidii primo nuncio audito, Polymestor

Fas omne abrumpit, Polydorum obtruncat, et auro
Vi potitur.

Ut tamen Polydorus sepulturam et justa mortuis persolvi solita consequeretur, a Plutone impetraverat, ut cadaver suum in matris Hecubæ manus incideret. Cum enim jam reditum in patriam Græci pararent, adversis ventis detinebantur, quos phantasma Achillis excitarat, quosque non ante placatum iri prædixerat, quam sibi ipsi Polyxena ad tumulum immolaretur.

In proxime sequente scena prodit Hecuba cum Trojanis mulieribus, somnio recenti exturbata et vehementer conterrita; quo scilicet fatale aliquod malum ad Polyxenam et Polydorum pertinens, sed minus distincte, significabatur. Tandem supervenit nuncia Trojana, et partem Hecubæ terrorum in veros dolores convertit, narrando, quæ sit summi Græcorum concilii super Polyxena mactanda sententia. Hoc decretum post paullo adest Ulysses executurus; quem Hecuba ingrati animi accusat, et Ulyssis ipsius vitæ a se olim servatæ gratiam reposcit. Ulysses non negat beneficium se accepisse,

sed facto suo publicam utilitatem prætexit. Polyxena vero, nihil quicquam hoc nuncio dejecta, oratione liberi spiritus plenissima, mortem, utpote vita sibi potiorem, amplectitur, et ad Achillis tumulum immolanda ab Ulysse abducitur; eadem fortitudine fatalem mortis ritum excipit, quam fabulæ partem Talthybius recitat. Hecuba famularum suarum unam ad mare demittit, ut aquam marinam ad Polyxenæ corpus lavandum inde hauriat. Famula, dum heræ mandata exequi parat, Polydori cadaver fœde laceratum, allisu fluctuum ad litus ejectum agnoscit, agnitumque ad Hecubam reportat. Hecuba, cognita filii sui morte, cædis auctorem ex re ipsa divinat, et in primo statim doloris impetu vindictam meditatur. Agamemnonem forte intrantem auxilium ad vindictam suam exequendam postulat. Is, exercitus sui animos veritus, clam ei favere pollicetur, sed opibus suis palam adjuvare non audet. Mittit igitur Hecuba nunciam ex captivis feminis ad Polymestorem, petitque ut ad se quam celerrime veniat, magnum quiddam negotium se cum eo communicaturam. Polymestor, nihil mali suspicans, Hecubæ consiliorum ignarus, cum pueris suis advenit. Hecuba eum ficto colloquio detinet, avaritiæque ejus spe defossi thesauri blanditur; tandem persuadet, ut intra tentorium, ubi Trojanæ mulieres sedent, se comitetur. Ibi Polymestorem oculis, pueros vero vita privant Hecuba et comites. Polymestor, dolore et ira exacerbatus primum mulieres persequitur; deinde Agamemnonis voce audita, ejus auxilium implorat, postulatque in manus sibi tradi sceleratam Hecubam, ut ipse de ea pœnas sumat. Agamemnon eum continere se jubet et quid fecerit, quid passus sit exponere; postea, inquit, dicet Hecuba; ipse litem hanc ex æquo dirimam. Postquam uterque causam suam ex-

posuit, Agamemnon statuit, quod fecit Polymestor, non Græcorum amicitia, sed avaritia sua stimulatum fecisse, quocirca vindictam ejus adjuvare detrectat. Hinc Polymestor ad furorem et desperationem convertitur; Hecubæ futuram formæ ejus mutationem prædicit; Agamemnonis et Cassandræ cædem a Clytæmnestra paratam. Hoc fit ex veterum superstitione, qui hominibus vel morientibus, vel atroci calamitate oppressis, vaticinandi vim tribuebant. Græci vento secundo a Thracia domum versus solvunt.

In hac tragœdia legenda quisque pro se id esse verum experietur, quod Quintilianus, non ita pridem a me laudatus, dixit; Euripidem in affectibus iis, qui miseratione constant, commovendis facile esse præcipuum. Quid enim efficacius esse potuit ad animos, modo non omni humanitatis sensu expertes, commovendos, quam reginæ vetulæ, in exilium et servitutem abductæ, conjuge, liberis, fortunis spoliatæ contemplatio? Et cum duo tamen Hecubæ post tot calamitates adminicula restarent, ea ambo una dies infesta matri miseræ subtraxit. Sed ut ratione et via procedamus, post brevem, quam dedimus, totius argumenti descriptionem, primo universam fabulæ hujus œconomiam, deinde singulas etiam partes videamus.

Unitas temporis severius, quam vel ipse Aristoteles optaret, servatur. Unitas actionis non male servaretur, si drama junctis Polyxenæ et Polydori funeribus finiretur. Adeo arcte implicatur Polydori casus cum sororis morte, ut ille hanc summa cum probabilitate consequi videatur. Hanc actionis unitatem sequentem adventum Polymestoris, et quæ postea eveniunt, corrumpere quis forsan contendat, neque ego negare ausim. Sed cum ad eandem historiam et hocce proxime pertineat; cum

exoptandum sit, ut Hecubæ in tot tantisque doloribus solatiolum tamen aliquid offeratur; cum jus omne divinum humanumque Polymestoris supplicium efflagitet, multo plus ex episodii hujus additione lucraremur, quam unitatis lege migrata amittimus, nisi alia objectio hinc oriretur. Dum enim hoc episodium, veluti purpureum pannum, tragœdiæ suæ poeta assuere voluit, in incommodum haud leve imprudens incurrit. Necesse utique erat scenam in Thracia constituere, ut Hecuba ulciscendæ filii sui mortis copiam et facultatem haberet. Necesse etiam erat Polyxenam super tumulum Achillis mactari. Dum autem utrumque horum in eodem dramate conjungere studebat Euripides, non vidit quantis se difficultatibus impediret. Mira enim inconstantia nunc loquitur, quasi res in Troja, nunc quasi in Thracia gereretur. Non longe ab initio primæ scenæ ita Polydorus rem narrat; (*v.* 32.)

> Τριταῖον ἤδη φέγγος αἰωρούμενος
> Ὅσονπερ ἐν γῇ τῇδε Χερσονησίᾳ
> Μητὴρ ἐμὴ δύστηνος ἐκ Τροίας πάρα.
> Πάντες δ' Ἀχαιοὶ, ναῦς ἔχοντες, ἥσυχοι
> Θάσσουσ' ἐπ' ἀκταῖς τῆσδε Θρῃκίας χθονός.

et in pluribus aliis locis Thraciam clare designat Euripides. Sed idem Polyxenam ad tumulum Achillis mactari narrat, quod in Trojano litore fieri oportuit. Ulysses igitur Achivorum principes monet, (*v.* 133. *ed.* 3*tiæ*)

> Μὴ τὸν ἄριστον Δαναῶν πάντων,
> Δούλων σφαγίων οὕνεκ', ἀπωθεῖν,
> Μηδέ τιν' εἰπεῖν παρὰ Περσεφόνῃ,
> Στάντα φθιμένων, ὡς ἀχάριστοι
> Δαναοὶ Δαναοῖς, τοῖς οἰχομένοις

῾Υπὲρ ῾Ελλήνων,
Τροίας πεδίων ἀπέβησαν.

Et Hecuba cum Polymestore colloquens hæc verba habet; (*v.* 1005.)

καὶ γὰρ Ἀργεῖοι νεῶν
Λῦσαι ποθοῦσιν οἴκαδ' ἐκ Τροίας πόδα.

Nolim autem hunc nodum ita quisquam solvere conetur, ut dicat cenotaphium Achilli in litore Thracio esse constructum, ad quem trucidatam esse Polyxenam. Mirum enim esset, si Achillis umbra tantisper quiesceret, dum Græci a Trojano litore ad Thracium navigarent; postquam vero jam in Thracia expositi essent, tum demum irasci inciperet, et sanguine virgineo placari postularet. Ipsa præterea Polyxena dicit se tantula lucis usura frui, quantum temporis intercedit inter gladium et Achillis pyram: (*v.* 435.)

Ὦ φῶς· προσειπεῖν γὰρ σὸν ὄνομ' ἔξεστί μοι·
Μέτεστι δ' οὐδὲν, πλὴν ὅσον χρόνον ξίφους
Βαίνω μεταξὺ καὶ πυρᾶς Ἀχιλλέως.

Sin Euripides scenam in Trojano litore finxisset, et omisso Polymestoris episodio, Polydori cadaver ibi ejectum a fluctibus appulisset, fabulam denique funere Polydori et luctu Hecubæ finisset, nihil ei ad accuratissimas tragœdiæ scribendæ regulas defuisset. Sed dum plures res uno eodemque argumento comprehendere annixus est, contra verisimilitudinem et proprietatem peccavit. Hoc tamen vitium magis cogitatione quam sensu percipimus. Quamvis ratio repugnare videatur, affectus nostri faciles se præbent, et tam blanda quadam tanguntur dulcedine, ut poetam non inviti, quocunque agit, sequantur.

Hactenus de generali Hecubæ œconomia; nunc quinam sint ii, qui præcipuas partes agunt, videamus, et an apte et personis quas sustinere debent, congruenter loquantur. Hecuba matris amantissimæ, et reginæ dignitate atque fortunis exutæ partes optime implet; Ulysses, ut fere alias apud Tragicos, astutus, ambitiosus, eloquens; nihil affectibus, omnia gloriæ tribuens. Sub hujus persona Oratorum sui temporis mores graviter reprehendit Poeta, in quos libenter, quoties se offert occasio, invehitur. (*v.* 254.)

Ἀχάριστον ὑμῶν σπέρμ', ὅσοι δημηγόρους
Ζηλοῦτε τιμάς· μηδὲ γιγνώσκοισθ' ἐμοὶ,
Οἳ τοὺς φίλους βλάπτοντες οὐ φροντίζετε,
Ἢν τοῖσι πολλοῖς πρὸς χάριν λέγητέ τι.

Polyxenæ vero magnanimitatem et fortitudinem, ex servitutis impatientia et melioris fortunæ recordatione profectam, quis non miratus est, quis non maximis laudibus prosecutus? Illud forsan non adeo ad captum seculi nostri fuerit, quod tantum decori servandi studium Polyxena retinet, ut etiam inter moriendum, quomodo decenter cadat, solicita sit: (*v.* 566.)

ἡ δὲ, καὶ θνήσκουσ', ὅμως
Πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐσχήμως πεσεῖν,
Κρύπτουσ' ἃ κρύπτειν ὄμματ' ἀρσένων χρεών.

Hoc tamen ipsum valde, ut videtur, veteribus placuit. Idem decorum in celeberrima sua Polyxenæ tabula expressit Polycletus, teste Polliano epigrammatum scriptore in Anthologia:

Ἅδε Πολυκλείτοιο Πολυξένα· οὐδέ τις ἄλλα
Χεὶρ ἔθιγεν τούτου δαιμονίου πίνακος.

Ἥρας ἔργον ἀδελφόν· ἴδ' ὡς πέπλοιο ῥαγέντος
Τὰν αἰδῶ γυμνὰν σώφρονι κρύπτε πέπλῳ.

Adeo certe arrisit Ovidio hic Euripidis locus, ut bis ad eum respexerit, semel in Metamorphosi, ubi postquam sacrificii mentionem fecit, ita pergit:

Tunc quoque cura fuit partes velare tegendas,
Cum caderet, castique decus servare pudoris.

iterum vero in Fastorum secundo Lucretiæ mortem describens;

Nec mora: celato figit sua pectora ferro;
Et cadit in patrios sanguinolenta pedes.
Tunc quoque, jam moriens, ne non procumbat honeste,
Respicit. Hæc etiam cura cadentis erat.

Sed cum Ovidius in dicto Metamorphoseos loco Nostri vestigia subsequi deprehendatur, operæ pretium, ut spero, fuerit, paullo accuratius totam Polyxenæ orationem apud utrumque poetam inspicere.

Fortis et infelix et plusquam femina, virgo
Ducitur ad tumulum, diroque fit hostia busto.
Quæ memor ipsa sui, postquam crudelibus aris
Admota est, sensitque sibi fera sacra parari,
Utque Neoptolemum stantem, ferrumque tenentem,
Inque suo vidit figentem lumina vultu;
Utere jamdudum generoso sanguine, dixit.
Nulla mora est; at tu jugulo vel pectore telum
Conde meo; jugulumque simul pectusque retexit.
Scilicet aut ulli servire Polyxena possem,
Aut per tale sacrum numen placabitur ullum.
Mors tantum vellem matrem mea fallere posset;
Mater obest, minuitque necis mihi gaudia; quamvis
Non mea mors illi, verum sua vita dolenda est.
Vos modo, ne Stygios adeam non libera manes,
Este procul, si justa peto, tactuque viriles

Virgineo removete manus; acceptior illi,
Quisquis is est, quem cæde mea placare paratis,
Liber erit sanguis, si quos tamen ultima nostri
Vota movent oris; Priami vos filia regis
Non captiva, rogat; genetrici corpus inemtum
Reddite; neve auro redimat jus triste sepulcri,
Sed lacrimis; tunc cum poterat, redimebat et auro.
Dixerat; at populus lacrimas, quas illa tenebat,
Non tenet; ipse etiam flens invitusque sacerdos
Præbita conjecto rupit præcordia ferro.

Videtis, credo, Auditores doctissimi, Ovidii etiam in hoc loco luxurians ingenium. Nescivit, quod bene cessit, relinquere. Quanquam autem suo ordine, suo arbitrio usus est Romanus poeta, præcipua tamen orationis capita ex Græco desumsit. Nos duo vel tria loca comparabimus.

Nulla mora est; at tu jugulo vel pectore telum
Conde meo; jugulumque simul pectusque retexit.

Hæc manifesto transcripta sunt ex Euripideis sequentibus; (*v.* 556.)

Λαβοῦσα πέπλους ἐξ ἄκρας ἐπωμίδος,
Ἔῤῥηξε λαγόνος εἰς μέσον . . . .
Κἄπειτ' ἔλεξεν . . .
Ἰδοὺ, τόδ' εἰ μὲν στέρνον, ὦ νεανία,
Παίειν προθυμεῖ, παῖσον· εἰ δ' ὑπ' αὐχένα
Χρῄζεις, πάρεστι λαιμὸς εὐτρεπὴς ὅδε.

Iterum Ovidius:

Vos modo, ne Stygios adeam non libera manes,
Este procul, si justa peto, tactuque viriles
Virgineo removete manus.

Euripides: (*v*. 546.)

> Ἑκοῦσα θνήσκω· μή τις ἅψηται χροὸς
> Τοῦ 'μοῦ. παρέξω γὰρ δέρην εὐκαρδίως.
> Ἐλευθέραν δέ μ', ὡς ἐλευθέρα θάνω,
> Πρὸς θεῶν, μεθέντες, κτείνατ'· ἐν νεκροῖσι γὰρ
> Δούλη κεκλῆσθαι, βασιλὶς οὖσ', αἰσχύνομαι.

Rursus Ovidius:

> *ipse etiam flens invitusque sacerdos*
> *Præbita conjecto rupit præcordia ferro.*

quod ex his Græcis expressit: (*v*. 564.)

> Ὁ δ' οὐ θέλων τε καὶ θέλων, οἴκτῳ κόρης,
> Τέμνει σιδήρῳ πνεύματος διαῤῥοάς.

Alius locus est, quem Euripidi debet Ovidius, non ille quidem ex Polyxenæ moribundæ oratione desumptus, sed in scena ex prioribus, cum primum Achivorum de se mactanda sententiam Polyxena audit. Ovidii verba sunt,

> *Non mea mors illi, verum sua vita dolenda est.*

Euripidis, (*v*. 211.)

> Σὲ μὲν, ὦ μᾶτερ δύστανε βίου,
> Κλάω πανοδύρτοις θρήνοις·
> Τὸν ἐμὸν δὲ βίον, λώβαν, λύμαν τ',
> Οὐ μετακλάομαι. ἀλλὰ θανεῖν μοι
> Ξυντυχία κρείσσων ἐκύρησεν.

Sed in hac fabula optime fere omnium partes suas tuetur chorus; ita quicquid canit, ad res et personas accommodatum est; ita nihil alienum aut arcessitum interserit. Quanquam enim in Euripidis solennibus vitiis enumerandis illud recensuerim, quod cantica nihil ad rem

pertinentia choro tribuat, vitium hoc in Hecuba saltem adeo feliciter evitavit, ut si pari cura in hac parte semper versatus esset, Sophocle ipso nihil inferior judicaretur. Infinitum esset, si per omnes tragœdiæ hujus partes, quæ vel propter vim ad affectus commovendos, vel propter poeticum spiritum, vel denique dictionis elegantiam, laudem mereantur, discurrerem; unum tamen facere non possum quin tribus verbis indicem: ex omnibus Hecubæ canticis longe præstantissimum est illud, quo Trojanæ mulieres Trojæ interitum narrant, et negotia commemorant, quibus quæque intenta fuerit sub noctem exitiosam, qua Græci urbem ceperunt. Quanquam in animo Nostrum habuisse videtur Virgilius, cum librum secundum Æneidos scriberet, pauca in eo expressa et testata imitationis vestigia apparent. Unus tantummodo mihi in præsentia succurrit locus, ubi Virgilius ipsa verba Euripidis æmulatus est:

Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit et dono divum gratissima serpit.

Μεσονύκτιος ὠλλύμαν,
Ἦμος ἐκ δείπνων ὕπνος
Ἡδὺς ἐπ᾽ ὄσσοις κίδναται. (*Hec.* v. 592.)

Sed, ut dixi, si omnia hujus tragœdiæ, quæ laudem mereantur, designarem, melior esset pars totius recitanda; quod esset otio vestro, auditores, et patientia nimis secure abuti. Operis igitur aliquid, quod brevius absolvetur, potius mihi sumam, ut defectus quosdam et vitia enotem.

Euripides etiam vivus a popularibus suis impietatis suspectus habebatur, et sive hoc crimen verum, sive falsum esset, negari non potest, eum suspicioni nimium loci dedisse. Personas suas sæpissime inducit contra

Deorum providentiam et benignitatem disputantes. Neque est quod quis dicat, eum non ex sua ipsius sententia loqui, sed dramaticæ proprietati inservientem, impietatis speciem præ se ferre. Adeo enim frequenter tales sententias inculcat, ut valde verisimile fiat, eum cum cupiditate quadam et voluptate Deorum criminationem suscipere. Ne longe abeam, in hac ipsa tragœdia Talthybius, varias Hecubæ calamitates reputans, exclamat, (*v.* 486.)

Ὦ Ζεῦ, τί λέξω; πότερά σ' ἀνθρώπους ὁρᾶν;
Ἢ δόξαν ἄλλως τήνδε κεκτῆσθαι μάτην
Ψευδῆ, δοκοῦντας δαιμόνων εἶναι γένος;

Similia habet Polymestor primo Hecubæ aspectu; (*v.* 944.)

Φύρουσι δ' αὐτὰ θεοὶ πάλιν τε καὶ πρόσω,
Ταραγμὸν ἐντιθέντες, ὡς ἀγνωσίᾳ
Σέβωμεν αὐτούς.

Sed hæc levia et tolerabilia sunt præut quæ in ceteris ejus fabulis impie in Deos dicta passim reperiuntur. Hac libertate adeo superstiosos Atheniensium animos irritavit, ut Bacchas eum hoc fine scripsisse, quo crimen impietatis a se amoliretur, haud injuria viri docti conjiciant.

Alius Euripidis mos fuit, ut mulierum vitia ubique insectetur. Tanto feminei generis odio exarsit, ut levissima quaque oblata, sæpe et quæsita occasione, in atrocissimas calumnias, quid res, quid tempus, quid personæ decorum postulet, immemor, excurrat. Et Polymestoris quidem in mulieres amarulentiam excusare possis, ut homini non male convenientem, qui gravissima et multiplici accepta injuria, filiis orbatus, oculorum visu privatus, omnes simul feminas, unius ob noxam et

furias, opprobriis lacerat. Esto: Polymestori subita ira et dolore excandescenti verba coacta condonentur. Sed idem alibi Euripides, in quam partem animus ejus propendeat, clare satis indicavit: dubitanti enim Agamemnoni an Hecubæ et comitum vires ad pœnas a Polymestore exigendas sufficerent, respondet Hecuba, (*v.* 874.)

> Τί δ'; οὐ γυναῖκες εἷλον Αἰγύπτου τέκνα,
> Καὶ Λῆμνον ἄρδην ἀρσένων ἐξῴκισαν;

Egregiam vero defensionem, quæ feminas ad scelera sola patranda fortes agnoscit! Porro illud in eodem dialogo omni pudoris et honestatis rationi contrarium, quod Hecuba, Agamemnonis benevolentiam sibi conciliatura, Casandræ noctes ei in memoriam revocat: (*v.* 812.)

> Καὶ μὴν ἴσως μὲν τοῦ λόγου κενὸν τόδε,
> Κύπριν προβάλλειν· ἀλλ' ὅμως εἰρήσεται.
> Πρὸς σοῖσι πλευροῖς παῖς ἐμὴ κοιμίζεται,
> Ἡ φοιβὰς, ἣν καλοῦσι Κασάνδραν Φρύγες.

Similem sententiam, sed longe castius in Ajace expresserat Sophocles. Verba sunt Tecmessæ ad Ajacem: (*v.* 520.)

> Ἀλλ' ἴσχε κἀμοῦ μνῆστιν· ἀνδρί τοι χρεὼν
> Μνήμην παρεῖναι, τερπνὸν εἴ τι που πάθοι.

Ubi vetus Scholiastes, debitis laudibus auctoris sui verecundiam efferens, inde occasionem Euripidis reprehendendi captat; *αἰδημόνως δὲ*, inquit, *αὐτὸν ὑπομιμνήσκει τὰ τῆς εὐνῆς· διὰ τούτου γὰρ μάλιστα δοκεῖ αὐτὸν πείσειν. ὁ δέ γε Εὐριπίδης μαστροπικώτατα εἰσάγει τὴν Ἑκάβην λέγουσαν, Ποῦ τὰς φίλας δῆτ' εὐφρόνας δείξεις, ἄναξ, Ἦ*

τῶν ἐν εὐνῇ φιλτάτων ἀσπασμάτων. Partem horum versuum ita Latine convertit Ennius, ut nescias uter Poeta μαστροπικώτερον, ut Scholiastæ verbo utar, locutus sit. *Quæ tibi in concubio verecunde et modice morem gerit.*

Quandoquidem autem Ennianæ hujus conversionis mentionem semel injecimus, libet de ea re pauca addere. Plures ex veteribus Latinis Hecubam tragœdiam scripserunt. Nescio tamen an solus Ennius totam Euripidis fabulam Latinam fecit. In quo negotio se ita gessit, ut neque religiose nimis ad auctoris verba conversionem suam astringeret, neque licenter nimis ab eo deflecteret. Paucula ejus fragmenta, quæ satis certo ad locum suum referri posse videantur, hic apponere non gravabor. Talthybius Hecubam cum miseratione intuens ait, (*v.* 495.)

> Φεῦ, φεῦ, γέρων μὲν εἰμ'· ὅμως δέ μοι θανεῖν
> Εἴη, πρὶν αἰσχρᾷ περιπεσεῖν τύχῃ τινί.

Hæc, ut ex Nonio Marcello discimus, sic in Enniana Hecuba conversa erant; *Senex sum; utinam mortem oppetam, priusquam evenat, Quod in pauperie mea senex graviter gemam.*

> κεῖνος ὀλβιώτατος,
> Ὅτῳ κατ' ἦμαρ τυγχάνει μηδὲν κακόν.

inquit Hecuba in ejusdem scenæ fine. Hanc sententiam brevissimo quasi proverbio sic complexus est Ennius; *nimium boni est, quoi nihil est mali.* Polydori cadaver Agamemnoni ostendens Hecuba, ita apud Euripidem loquitur: (*v.* 748.)

> Ὁρᾷς νεκρὸν τόνδ', οὗ καταστάζω δάκρυ;

Ennius fere ad verbum reddidit; *Vide hunc, meæ in*

quem lacrumæ guttatim cadunt. Sed omnium optime Latino poetæ successit in celeberrima ea sententia vertenda, qua Ulyssem alloquitur Hecuba: (*v*. 293.)

> Τὸ δ' ἀξίωμα, κἂν κακῶς λέγῃς, τὸ σὸν
> Πείσει· λόγος γὰρ, ἔκ τ' ἀδοξούντων ἰὼν,
> Κἀκ τῶν δοκούντων αὐτὸς, οὐ ταὐτὸν σθένει.

Hos tres versus, quos verbis, sententia, brevitate, insignes illustresque vocat Gellius, ita, eodem teste, Latine extulit Ennius: *Hæc tu etsi pervorse dices, facile Achivos flexeris: Nam opulenti quum loquuntur pariter atque ignobiles, Eadem dicta eademque oratio æqua non æque valet.* Non injucundum fortasse erit, si magni inter recentiores nominis Poetæ, Hugonis Grotii ejusdem loci conversionem recitabo; adeo felici brevitate intra tres senarios sententiam conclusit.

> *Ut prava dicas, quæ tua est auctoritas,*
> *Movebis animos. Nam viri prænobilis,*
> *Et tenuis, idem sermo diversum valet.*

Quam vellem, judices acerrimi, quam olim apud Græcos Ulysses, eandem nunc ipse apud vos auctoritatem obtinere; ut existimationis meæ præjudicium ingenii defectum sarciret; et famæ meæ splendor animorum vestrorum aciem præstringeret.

Nihil aliud ex Ennii Hecuba, quod tuto comparare cum Euripide possimus, extare, vehementer sane dolendum est. Utinam vel istam vel aliam quampiam ejus generis integram fabulam ex vetustatis situ aliquando erueremus. Ipse quidem talem thesaurum libenter omnium Senecæ, quæ feruntur, tragœdiarum jactura redimerem; neque vestrum in hac parte, auditores, judicium multum arbitror a meo discrepaturum. Sed hæc qui-

dem vota sunt. Sentio me longius evectum esse, finemque orationi meæ tandem ponendum. Hæc fere erant, auditores doctissimi, quæ de Euripide ejusque Hecuba dicenda habui. Quod in proœmio promisi, præstiti; nihil nempe me novi aut reconditi prolaturum: Vestrum unicuique longe plura et meliora memoria sua subministrabit. Desinam igitur, venia vestra prius rogata, quos equidem vereor ne, quamdiu oratio mea duravit, tamdiu a studiis aut utilioribus aut jucundioribus detinuerim.

OBSERVATIONES VARIÆ.

Post jusjurandum, qualia sunt, νὴ Δία, νὴ τὸν Δία, μὰ Δία, οὐ μὰ Δία, νὴ τὸν Ἀπόλλω, et cetera hujusmodi, nunquam sequitur particula ΓΕ, nisi alio vocabulo interposito.

Aristophanes Plut. 134. 144.

> Καὶ νὴ Δί', εὔχονταί γε πλουτεῖν ἄντικρυς.
> Καὶ νὴ Δί', εἴ τί γ' ἐστὶ λαμπρὸν καὶ καλόν.

ubi MS. Dorvillii ἔνεστι habet, frustra probatum a Koenio ad Gregorium p. 18. ἐστὶ recte habet Suidas v. χάριεν. Neque tamen hilum interest, præcedatne particula, an subsequatur.

Aristophanes Plut. 1022.

> Εἰ Θάσιον ἐνέχεις, εἰκότως γε, νὴ Δία.

Equit. 937.

> Εὖ γε νὴ τὸν Δία καὶ τὸν Ἀπόλλω.

Sic enim legi debet pro Εὖ νή γε τὸν — ex tribus Brunckii MSS. editione Juntina a. 1515. et Scholiaste. Quod autem dixi, particulam γε non posse jurijurando postponi, nisi interjecta alia voce, idem de καὶ μὴν — γε et οὐ μὴν — γε dictum puta.

Sophocles Œdipo Tyr. 987.

Καὶ μὴν μέγας γ' ὄφθαλμος οἱ πατρὸς τάφοι.

Ita postulat metrum (secundam enim corripit *μέγας*) idemque conjecit nescio quis in editione Londinensi a. 1746. sed neglexit Brunckius.

Euripides Phœniss. 1616. (1638. *Ed. Pors.*)

Οὐ μὴν ἑλίξας γ' ἀμφὶ σὸν χεῖρας γόνυ.

Ibi tamen *Οὐ μήν γ' ἑλίξας* ex conjectura edidit Valckenaerius; unius MS. auctoritate *γ'* omisit Brunckius; perperam uterque.

Euripides Alope apud Etymologum M. p. 420, 16.

Οὐ μὴν σύ γ' ἡμᾶς τοὺς τεκόντας ᾐδέσω.

Editur *Οὐ μὴ σύ γ'*, quod leve vitium fraudi fuit Maussaco in Notis ad Harpocrationem p. 29. Grotio in Excerptis p. 371. Barnesio et Musgravio in fragmentis*. Sed ut illuc tandem unde abii redeam; sunt nonnulla apud Comicum loca, quæ regulæ huic obstare videantur. Ea igitur tempus est ut examinemus.

Aristophanes Plut. 566.

Νὴ τὸν Δί' εἴ γε δεῖ λαθεῖν αὐτὸν, πῶς οὐχὶ κόσμιόν ἐστι;

De quo merito dixit Scholiastes, *ψυχρὸν τὸ ἐνθύμημα.* Sane is multo fuit Brunckio et Hemsterhusio sagacior. MS. Dorvillii dedit, *εἴ γε λαθεῖν αὐτὸν δεῖ πῶς οὐ κόσμιόν ἐστι,* quicum consentit Suidæ MS. C. C. C. Oxon. in v. *κλέπτης.* Inde Hemsterhusius, opinor, ne tam facetum et elegantem versum perderet, effecit

Νὴ τὸν Δία γ', εἴ γε λαθεῖν αὐτὸν δεῖ, πῶς οὐ κόσμιόν ἐστι;

* Hæc plenius ad Phœnissarum locum docuit Porsonus. E.

Quod cum in MS. suo forte fortuna reperisset Brunckius, in textum intulit. Nollem factum: non enim frigidus modo et ineptus est jocus, sed contra morem et decorum, ut Chremyli rationes confutare aggrediatur Blepsidemus. Deinde, si vel admitteret sermonis lex, quam *φορτικὸν* esset particulæ istius intra tantillum spatii repetitio? Jure igitur summo totum versum spurium et insititium esse pronunciavit Bentleius, cujus sententiæ magnum a canone nostro pondus accedit. Ut autem exemplo pateat, quam proni ad hujusmodi loca turbanda fuerint librarii, vide Aristophan. Av. 1148. ubi vulgatur, metro integerrimo,

> *Καὶ νὴ Δί' αἱ νῆτταί γε περιεζωσμέναι.*

Suidas tamen v. *ὑπαγωγεύς*, hunc ordinem prætulit,

> *Καὶ νὴ Δία γ' αἱ νῆτται περιεζωσμέναι.*

Proximus locus, qui in legem peccat, est Equit. 1347.

> *Καὶ νὴ Δία γ' εἰ δύω λεγοίτην ῥήτορε.*

Ac percommode quidem accidit, quod hic versus alio morbo laborat. Attici enim poetæ *δύω* nunquam usurpant, quod verissime monuit Dawesius Misc. Crit. p. 347. probante sane quam idoneo judice Valckenaerio ad Euripid. Phœniss. 585. Quanquam horum decreto acquiescere noluit Marklandus ad Euripid. Iph. Aul. 1247. hoc versu, infirmo tibicine, nixus. Sed exortus est nuper semidoctus professor, Vauvillerius, qui viris se longe melioribus carpendis, et, si Diis placet, refellendis, famam quærere instituit. Is etiam eundem hunc versum, ex penu suo scilicet, ad Dawesium et Valckenaerium redarguendos profert. Eum satis exagitavit Brunckius ad Ran. 1405, qui ne ipse quidem

rem acu tetigit. Cum enim duo MSS. δύο exhibeant, ut metro titubanti subveniat, σοι infercit, idque putat sententiam postulare. Nihil minus. Transpone tantum particulam γε, et lege,

Καὶ νὴ Δί' εἴ γε δύο λεγοίτην ῥήτορε.

Jam vide ut idem mendum in loco ex Avibus supra prolato Suidæ codicibus inolevit.

Non dissimili medicina curanda sunt duo sequentia loca:

Aristophan. Av. 11.

Οὐδ' ἂν μὰ Δία γ' ἐντεῦθεν Ἐξηκεστίδης.

Lege, transpositis vocibus,

Οὐδὲ μὰ Δί' ἐντεῦθέν γ' ἂν Ἐξηκεστίδης.

Infra v. 22.

—οὐδὲ μὰ Δί' ἐνταῦθά γ' ἀτραπὸς οὐδαμοῦ.

Aristophan. Ecclesiaz. 748. (743)

Μὰ τὸν Ποσειδῶ γ' οὐδέποτ' ἀλλὰ βασανιῶ.

Et hic, paullulum mutato ordine, legendum,

Μὰ τὸν Ποσειδῶ οὐδέποτέ γ' ἀλλὰ βασανιῶ.

Vesp. 163.

Μὰ τὸν Ποσειδῶ, Φιλοκλέων, οὐδέποτέ γε.

Lysistrat. 252.

Μὰ τὴν Ἀφροδίτην οὐδέποτέ γ', ἄλλως γὰρ ἄν.

Jam unicus tantum restat versus, qui nullo negotio profligabitur: Thesmophoriaz. 225. (232.)

Οὐ γὰρ μὰ τὴν Δήμητρά γ' ἐνταυθοῖ μενῶ.

Ita quidem nunc vulgo legitur, ex Kusteri, ut equidem opinor, interpolatione. Omnes enim antiquæ, quas vidi, editiones γε ignorant. Quis igitur reponere dubitet.

Οὐ γὰρ μὰ τὴν Δήμητρ' ἔτ' ἐνταυθοῖ μενῶ?

Plut. 64.

Οὔτοι μὰ τὴν Δήμητρα χαιρήσεις ἔτι.

Nub. 812.

Οὔτοι μὰ τὴν Ὁμίχλην ἔτ' ἐνταυθοῖ μενεῖς.

Vesp. 1433.

Οὔτοι μὰ τὴν Δήμητρ' ἔτ' ἐνταυθοῖ μενεῖς.

Corollarii instar duo loca addam, ut leviter emendem.

Plut. 657.

Ἔπειτ' ἐλοῦμεν· νὴ Δί' εὐδαίμων ἄρ' ἦν.

MS. Baroccianus 127. codex optimæ notæ, pro *ἄρ'* dat *γάρ.* Lege

Ἔπειτ' ἐλοῦμεν· νὴ Δί' εὐδαίμων γ' ἄρ' ἦν.

Vesp. 217.

Νὴ τὸν Δί' ὀψὲ γὰρ ἀνεστήκασί γε.

Sic quædam editiones. Aldus et Junta a. 1515. *γοῦν* pro *γὰρ* habent.—*ὀψὲ γοῦν ἀνεστήκασι νῦν* dedit Kusterus, partim recte; quem secutus est Brunckius. Juntina secunda a. 1525. cui adstipulatur MS. apud Brunckium, —*ὀψὲ γὰρ ἀνεστήκασι νῦν.* quæ vera est lectio, modo recte dividas et distinguas,

Νὴ τὸν Δί' ὀψέ γ' ἆρ' ἀνεστήκασι νῦν.

ut Ran. 1189.

Νὴ τὸν Δί', ὥσπερ γ' εἴτις εἴποι γείτονι.

Pessime Brunckius particulam ejecit.

Diphilus Athenæi VI. p. 228. B.

> Πέρδικα δ' ἢ κίχλην γε, νὴ Δί', οὐκέτι.

ut recte legit Grotius Excerpt. p. 789. Ante contra metrum et sermonem pro γε legebatur καί; quod tamen vitium silentio transmisit Victorius Var. Lect. XVI. 9. In Juliano Cæsar. p. 311. B. Ναὶ μὰ Δία, ἔφη, μέμφομαί γε ὑμᾶς τῆς ἀνισότητος optime habet MS. Vossianus. Aristoph. Av. 639. Καὶ μὴν μὰ τὸν Δί' οὐχὶ νυστάζειν γ' ἔτι Ὥρα 'στιν ἡμῖν. Sic legendum ex Plutarchi Nicia p. 528. A. ubi corrupte editur νυστάζειν ΓΕΠΩ Ὥρα 'στιν ἡμῖν. ω enim male geminatum est. τι in π facile transiit. Chionides Herosin apud Suidam v. ἄγνος. Καὶ μὴν μὰ τὸν Δί' οὐδὲν ἔτι γέ μοι δοκῶ. Vulgatur ἔτι τέ μοι. Euripides Cyclop. 541. Καὶ μὴν λαχνῶδές γ' οὖδας ἀνθηρᾶς χλόης. Crasis enim qualis τοὖδας Atticis ignota est.

Quoties AI et E permutaverint librarii, doctis omnibus et plerisque indoctis notum est. Minus notum est hoc mendum in scriptore corruptissimo Pausania X. 31. p. 874. relictum fecisse, ut critici quidam, in quibus Dorvillius ad Chariton. p. 75. de Phrynichi dramatis inscriptione hæsitarent. Ibi quidem vulgatur, Τοῦτον τὸν λογὸν Φρύνιχος ὁ Πολυφράδμονος πρῶτος ἐν δράματι ἔδειξε Πλευρῶνι· Ἐς κρυερὸν γὰρ οὐκ ἤλυξεν μόρον— Cum certo certius sit legendum esse,—πρῶτος ἐν δράματι ἔδειξε Πλευρωνίαις·

> Κρυερὸν γὰρ οὐκ ἤλυξε μόρον·
> Ὠκεῖα δέ νιν φλὸξ κατεδαίσατο,
> Δαλοῦ περθομένου
> Ματρὸς ὑπ' Ἀλθαίας κακομηχάνου.

Tam apertum vitium Sylburgio latuisse miror; Dorvillio latuisse non miror. Porro monendi estis, lectores, si qui forte mearum ineptiarum lectores eritis, in ultimo versu, tum metri tum sensus jussu, pro *αἰᾶς* reposuisse me Ἀλθαίας. Scaliger etiam ad Manil. V. 178. et J. Fr. Gronovius Obs. II. 11. p. 293. Πλευρῶνι. sed recte Scaliger, Ἀλθαίας. In Melanippidis fragmento apud Athenæum XIV. p. 651. F. lege *θήραις* pro *θῆρες*. Pherecrates apud Polluc. II. 48. Οὐδ' ἀποπροσωπίζεσθε κυάμοις. Vulgatur contra metrum, ἀπὸ προσωπίζεσθαι. Cratinus Νόμοις citatus a Grammatico apud Ruhnkenium ad Timæum p. 121. ed. sec. Οὐκ ἀπερῥήσεις σὺ θᾶττον; ἀποτιλῶ σε τήμερον. Quod miror virum sagacissimum non vidisse. Verba sunt alicujus ad gallum sive gallinam. Editum olim in Strabone, ἠκύρωται ὄντα ἐλεγεῖα, mutavit Casaubonus VIII. p. 557. A. (362. C.) in ἠκύρωται τὰ ἐλεγεῖα. Legendum erat, ὥστε ταῦτα ἀκυρωτέον τὰ ἐλεγεῖα, ἢ Φιλοχόρῳ ἀπιστητέον. Sæpe in fabularum titulis lapsi sunt librarii. Etymologus M. p. 550, 14. Νικοχάρης Λημνίᾳ· ἐπλέομεν, ὦ κόρη, ἐπὶ κῶς. Recte legit πλέομεν Hemsterhusius ad Aristoph. Plut. p. 57. Sed cum hujus dramatis nomen a ceteris semper in plurali laudetur, ne solus Etymologus dissentiat, scribe, Νικοχάρης ΛΗΜΝΙΑΙΣ: ΠΛΕΟΜΕΝ, ὦ κόρη, 'Επὶ κῶς. Idem error in Alexidis fabulæ titulo apud Polluc. X. 100. Vix dici potest quot veterum loca corruperit literarum Є et C similitudo. Apud Montefalcon. Diar. Ital. p. 425. ΜΑΧΑΤΑC [Є] ΠΟΗCΕ scribi debebat, ut recte infra scriptum est. Herodotus VII. 49. scripsit κομίεαι, quod habet Stobæus, quoque alludunt Vind. Arch. ΚΟΜΙCΑΙ præbentes. Quid Valla invenerit, incertum est. Inscriptio apud Chandler. p. 80. Brunck. Not. in Analect. III. p. 287. Πιτθεΐδαι Θεόδωρον, ἐπεὶ

πόλιν HЄΞHЄЄ. Lege, ἤεξησε. Vide locum Nicandri apud Berkel. ad Steph. Byz. v. Μυκῆναι, qui est Alex. 102. Coluth. Rapt. Helen. 241.

"ΜΗ ΟΥ in Tragicis semper est Monosyllabon, non obstante Diogene Laertio ad finem vitæ Cleanthis," dixerat Marklandus ad Euripidis Supplices 248; et similia alibi tradit, ut ad eandem fabulam 109. Iph. Aul. 791. Et ibid. 959. "Η ΟΥ, monosyllabice, ut sæpe et semper." "Fere," ait Brunckius ad Euripid. Orest. 598. "addere debuisset, quia contraria exempla reperiuntur, extra suspicionem et controversiam posita, ut est illud [Sophoclis] Œd. Tyr. 993.

Ἦ ῥητὸν, ἢ οὐ θεμιτὸν ἄλλον εἰδέναι;"

Hæc ille, cum nihil certius, quam in exemplo isto unico, quod produxit aut producere potuit, legendum esse, Ἦ ῥητὸν, ἢ οὐχὶ θεμιτὸν— Atque hoc tandem ipsi Brunckio suboluit; ita enim scribit ad Gnomicos Poetas p. 345. "Paragogen in οὐχὶ sæpe neglexerunt librarii, cum versuum labe, cujus rei insigne exemplum a nemine observatum ad Sophoclem proferemus." Postea prodiit ejus editio Tragici; cujus in loco laudato recte ἢ οὐχὶ edidit, et in nota observat, "Η ΟΥ, ΜΗ ΟΥ apud Atticos poetas semper sunt monosyllaba," sed se contrariam olim propugnasse sententiam callide dissimulat. Eadem medicina facienda fuit ibid. 630.

Κἀμοὶ πόλεως μέτεστιν, οὐχὶ σοὶ μόνῳ.

ubi vulgatur, μετέστι τῆσδ', οὐ σοὶ μόνῳ. sed in οὐχὶ consentiunt omnes MSS. duo τῆσδ' omittunt. Et ne quis hoc a Brunckio præceptum objiciat, alium locum

addam, eadem curatione indigentem. Is est in eadem tragœdia 1002.

Τί δῆτ' ἐγὼ οὐχὶ τοῦδε τοῦ φόβου σ', ἄναξ.

Editur quidem Τί δῆτ' ἔγωγ' οὐ τοῦδε—; cum autem editio Aldina et MS. Trin. Coll. Cant. pro οὐ darent οὐχὶ, facile erat otiosam particulam delere. Ad Marklandum revertor. Regula sane, quam tradit, est certissima. Sed quid sibi volunt ista verba, "non obstare Diogenem Laertium?" Locus hic est VII. 176.

Ἰδὼν γὰρ αὐτὸν πρέσβυν οὐκ ἠνέσχετο
Μὴ οὐ τὸ λοιπὸν ἄνεσιν ἐν φθιτοῖς ἐχεῖν.

Aut enim significare possunt, Diogenis in tali quæstione auctoritatem esse nullam, aut codices ejus esse corruptos. Si hoc credidit Marklandus, veritatem ipsam attigit. Licet enim pessimus poeta fuerit Diogenes, metri plerumque satis callens est. Repetendæ modo literæ duæ, et lectionem habebimus canoni Marklandiano consentaneam;

Τὸ μὴ οὐ τὸ λοιπὸν ἄνεσιν ἐν φθιτοῖς ἔχειν.

Sæpe editorum recentiorum socordia evenit, ut loca velut mendosa correxerint Viri docti, quæ jamdudum sana et sincera in primis editionibus exstabant. Exemplum subministrat Aristophanis Scholiastes ad Ran. 1114. ubi laudatis ex Euripidis Phryxo verbis, pergit, ἀλλ' ὀλίγων ἐστὶ Φρύξος. Cum hoc satis ineptum esset, recte correxit Valckenaerius Diatrib. p. 17. B. ἀλλ' ὁ λέγων ἐστὶ Φρύξος. Sed nihil opus erat; sic enim plane legitur in editione Aldina. Mox etiam, Ἀλλ' ὅτι τούτου

in Euripidis versu ex Hippolyto 191. recte vulgarat Aldus, sed ὅτε quod postea editiones insedit, Valckenaerio imposuit. Idem autem ne cuiquam accidat in eodem Scholiaste ad Vesp. 842. sedulo cavebo. Μετὰ γὰρ τὸ κωλυθῆναι (lege καταλυθῆναι) τὴν τῶν Τιτάνων ἀρχὴν, τὸν δεξάμενον τὴν βασιλείαν, ἐπιτρέπειν Ἑστίᾳ λαβεῖν ὅ, τι βούλοιτο. (Philostrato V. A. VII. 2. καταλύων τυραννίδα ex omnibus MSS. reddi debebat.) Excidit nomen ejus, qui regnum accepit, quod ex Aldina revocandum est, τὸν Δία δεξάμενον: illa quidem, levi errore, quem correxi, exhibet διαδεξάμενον. L. Bosius Animadvers. p. 11. in Schol. ad Av. 779. pro εὐδεινοῦ emendat εὐδιεινοῦ: sin autem Aldi editionem consuluisset, operam suam supervacuam esse vidisset.

NEGANT Viri doctissimi R. Dawesius Misc. Crit. p. 282. L. C. Valckenaerius ad Schol. in Eurip. Phœniss. 1683. ἠδὲ pro καὶ Atticum esse. Sed huic sententiæ adversantur Eurip. Hec. 322. Iph. Aul. 817. Herc. Fur. 30. (quem ipsum locum citat Valckenaerius ad Phœniss. 609.) Æschyl. Theb. 868. Pers. 16. 21. 22. 26. 289. 535. Agam. 42. Choeph. 1025. Eumenid. 188. 417. Sophocl. Antig. 684. 685. Alexis Athenæi VII. p. 322. D.

NOTÆ ET EMENDATIONES

IN

ATHENÆUM.

Lib. I. p. 2. A. init. Τι præfigit Aldus, TI Turnebus. Sed delendum, sive articulus est, sive Timocratis nomen, recte statuit Schweighæuserus. (*R. H.*)

I. p. 3. F. Antiphanes: *In Editionibus legitur,*

Τοῦ γάρ τις ἄλλου, πρὸς θεῶν περ, οὕνεκα
Εὔξαιτο πλουτεῖν εὐπορεῖν τε χρημάτων;

Notavit Porsonus: Τοῦ δὲ γάρ τις MSS. Lege aut Τοῦ γάρ τις aut Τοῦ δ' ἄν τις ἄλλου, πρὸς θεῶν, πε̄ρ οὕνεκᾱ, id est, πάτερ, οὕνεκ' ἄν. Hoc unum observabis, si in versus initio Τοῦ δ' ἂν legeris, commodam quidem in fine ad hiatum explendum fore particulam, sed non necessariam; si γὰρ retinebis, necessariam. Sæpe a Comicis inducuntur filii hujusmodi consilia patribus dantes. Menander Stobæi p. 153, 51. ed. Gesn. 93. Grot. 50. Cleric. Ἃ δὲ μὴ σεαυτοῦ, τῆς τύχης δὲ πάντ' ἔχεις, Τί ἂν φθονοίης, ὦ πάτερ, τούτων τινί; Si Brunckio fides, περ omittit B. *i. e. MS. Paris. Reg.* 3056. (*R. H.*)

Ibid. οὐχὶ τοῖς λαμπροῖσι δὲ
Δείπνοις τὸ πεινῇν παύεται.

Ita Porsonus. οὐχὶ τοῖς λ. γὰρ *Casaub.* οὐχὶ δὲ edd. Ven. Turn. sed δὲ manu sua deleverat Turnebus.

I. p. 4. F. Antiphanes:

οὗτοι δὲ τῶν ἐν τῇ πολεῖ
Τὰ δεῖπν' ἀφορῶσι, καὶ πέτονται δεξιῶς
Ἐπὶ ταῦτ' ἄκλητοι.

Ita correxit Porsonus: Vulgo οὗτοι δὲ τὰ δεῖπνα τῶν ἐν τῇ πόλει ἀφορῶσι.

I. p. 5. B. Plato: ἐγὼ δ' ὢν ἐνθάδ' ἐν τῇ 'ρημίᾳ. *Ita Porsonus. Vulgo* Ἐγὼ δ' ἐνθάδ' ἐν τῇ ἐρημίᾳ.

I. p. 7. C. εἰ μὴ μείζους ἔχουσιν. vulgo deest μή· μείζους οὐκ ἔ. Casaubonus.

I. p. 7. E. Euphron:

θηλεῖαν λαβὼν
Γογγυλίδα ταύτην ἔτεμε λεπτὰ καὶ μακρά.

Casaubonus ἔτεμεν εἰς λεπτὰ σφόδρα. MSS. ἔτεμε λεπτὰ tantum. Suidas εἰς μακρὰ καὶ λεπτὰ in v. Ἀφύα. Confer Herodot. II. 147. VII. 121. et ad hunc locum Valckenaerium (IV. 148.) Mox,

μήκωνος ἐπιπάσας ἄνω
Κόκκους—

vulgo ἐπιπάσσας. ἐπιπάσας Turn.

Ibid. Proxime sequentia sic dedit Casaubonus,
Κόκκους μελαίνης τὸν ἀριθμὸν δυώδεκα,
Περὶ τὴν Σκυθίαν ἔλυσε τὴν ἐπιθυμίαν.

ἔΓλυσε Ald. et puto Turn. Sed ex emendat. ἔκλυσε: prius erat ἔκλῦσε. Lege ἔΓΑΥCΕ, *i. e.* ἔπαυσε. Paullo

ante δώδεκα edd. Ald. Turn. (*R. H.*) *In margine exemplaris Editionis Schweighæuser. hos versus ita correxit Porsonus,*

μήκωνος ἐπιπάσας ἄνω
Κόκκους μελαίνης τετταράκοντα τὸν ἀριθμὸν,
Περὶ τὴν Σκυθίαν ἔπαυσε τὴν ἐπιθυμίαν.

Et in proximo versu μασώμενος.

I. p. 8. A. *Archilochi versus ita supplevit, et emendatos divisit Porsonus*;

(Ἐσθίων θ') ὧν οὔτε τῖμον (οὔτιν') εἰσενήνοχας,
Οὔτε μὴν κληθεὶς ἐς ἡμᾶς ἦλθες, οἷα δὴ φίλος·
Ἀλλά σ' ἡ γαστὴρ νόον τε καὶ φρένας παρήγαγεν
Εἰς ἀναιδείαν.

Vulgo legitur—μεθύων οὔτε τι τίμον εἰσήνεγκας, οὐδὲ μὴν κληθεὶς ἦλθες, οἷα δὴ φίλος, ἀλλά σε γαστὴρ νῶντε καὶ φρένας παρήγαγεν εἰς ἀναιδίην.

I. p. 8. B. Eubulus:

Ὃν φασι παρακληθέντ' ἐπὶ δεῖπνον πρὸς τινὸς
Εἰπόντος αὐτῷ τῶν φίλων——

Ita Porsonus. In Ed. Casaub. ἐπὶ δεῖπνον πρὸς φίλου τινὸς, Εἰπόντος αὐτῷ τοῦ φίλου.

I. p. 8. C. lin. 5. Eubulus: Φάναι δ' ἔπειτα *emendat Pors. pro vulg.* Ἔπειτα φάναι.

I. p. 8. C. *Edit. Casaub.* Ἀσυμβόλου δείπνου γὰρ ὅστις ὑστερεῖ, Τοῦτον ταχέως νόμιζε καὶ τάξιν λιπεῖν, Ἄμφις φησὶ ὁ Κωμικός. Χρύσιππος δὲ φησὶν, Ἀσύμβολον κώθωνα μὴ παραλίμπανε.

Duos priores versus cum Eubuli versibus jungit Brunckius, et deinde legit Ἄμφις φησὶν ὁ Κωμικὸς,

Ἀσύμβολον κώθωνα μὴ παραλίμπανε. Sed totus locus ita disponendus est:

> *Ἀσύμβολον κώθωνα μὴ παραλίμπανε.*
> *Ἀσυμβόλου δείπνου γὰρ ὅστις ὑστερεῖ,*
> *Τοῦτον ταχέως νόμιζε κἂν τάξιν λιπεῖν.*

Excidit prior versus propter simile initium, postea loco positus non suo. (*R. H.*)

I. p. 9. C. Menander: *ὑποβινητιῶντα βρώματα.* Infra IV. p. 133. A. Corrige et supple H. Steph. Ind. Thesaur.

I. p. 9. D. *Ἑλλήσποντον δὲ Ὅμηρος κ.τ.λ.* Plato Rep. III. p. 404. B. infra IV. p. 157. B.

I. p. 9. E. *εἰς ἐλευθερίαν καὶ αὐτάρκειαν ἐξαιρέτως τοὺς βασιλεῖς ἀποκαθίστησι.*

Duo ultima verba in Codicibus deesse testatur Schweighæuserus: eorum loco in uno Cod. est exiguum spatium vacuum, in altero legitur πρώτου. *Locum ita emendavit Porsonus:* εἰς εὐτέλειαν καὶ αὐτάρκειαν ἐξαιρεῖται τοὺς προτοῦ. *De prima emendatione notavit:*

εὐθερίαν Turnebi margo. Lege *εὐτέλειαν*, ut p. 8. F. lin. 8. sed præcipue ibid. A. 5. Plutarch. II. p. 461. C. *ἐθιστέον οὖν τὸ σῶμα δι' εὐτελείας πρὸς εὐκολίαν, αὔταρκὲς ἑαυτῷ γινόμενον.* (*R. H.*)

I. p. 11. C. Cantharus:

Οὐκοῦν ἀκρατισώμεθ' αὐτοῦ μηδαμῶς· Ἐν Ἰσθμῷ γὰρ ἀριστήσομεν. Ita Casaub. *ἀκρατισόμεθ' ἀντὶ τοῦ μηδαμῶς* Ald. *ἀκρατισόμεθ'* tantum Turn. Legere potes

> *Οὐκοῦν ἀκρατισώμεθ' αὐτοῦ;—Μηδαμῶς,*
> *Αὐτοῦ γ' ἐν Ἰσθμῷ γὰρ τάχ' ἀριστήσομεν.* (*R. H.*)

I. p. 11. D. lin. 4. Lege τροφαῖς τέσσαρσιν (vel τέτταρσιν) cum Turnebo, MSS. A. B. Eustathio ad Od. Π. p. 1791, 38 = 589, penult. (*R. H.*)

I. p. 13. E. πρὸς οἰωνοῦ τιθέμενοι. Suid. v. πρὸς οἰωνοῦ δεξίου τιθέμενοι.

I. p. 14. E. Ἀγαλλίς. "Ἀναγαλλὶς in Suida et forte melius." *Hæc ex margine exemplaris Editionis Turnebianæ citat Porsonus, addens,*

Recte, ut opinor, judicat Turnebus. Semel scriptæ erant literæ bis scribendæ; τὴν εὑρεσιναγαλλίς. (*R. H.*)

I. p. 15. A. *Duos versus, qui in prioribus Edd. desunt, e MSS. dedit Schweighæuser.*

Ἔξω, μακρὰν, παρ' αὐτὸν, ὑπὲρ αὐτὸν, κάτω,
Ἄνω· βραχεῖαν ἀπόδοσιν ἐγκαταστρέφει.

καταστρέφει *pro* ἐγκατ. *emendat Porsonus.*

I. p. 15. B. Demoxenus:

νεανίας τις ἐσφαίριζεν ὢν
Ἐτῶν ἴσως[1] (ἑκκαίδεκ' ἢ) 'πτακαίδεκα,
Κῷος· θεοὺς γὰρ φαίνεθ' ἡ νῆσος φέρειν.
Ὃς ἐπεί ποτ' ἐμβλέψειε τοῖς καθημένοις
Ἢ λαμβάνων τὴν σφαῖραν, ἢ διδοὺς, ἅμα
Πάντες ἐβοῶμεν, (ὥσπερ ἐκ κελεύσματος)
[2]Ἥ τ' εὐρυθμία, τό τ' ἦθος, ἡ τάξις θ' ὅση
Ἐν τῷ τι πράττειν ἢ λέγειν ἐφαίνετο,
Τέρας τι κάλλους, ἄνδρες· οὔτ' ἀκήκοα
Ἔμπροσθεν, οὔθ'[3] ἑόρακα τοιαύτην χάριν.
Κακὸν ἄν τι μεῖζον ἔλαβον, εἰ πλείω χρόνον
Ἔμεινα· καὶ [4]νῦν γ' οὐχ ὑγιαίνειν μοι δοκῶ.

Quidquid in his versibus ab Edit. Casaub. discrepat, e Porsoni emendatione est. 1. ἐτῶν ἴσως ἑπτακαίδεκα

Casaub. vid. III. p. 127. D. Dio Chr. xxi. p. 272. (506.) *Verba in uncinis inclusa supplevit Pors.* 2. *Casaub.* ἡ δ' εὐρυθμία, Τό, τ' ἦθος, ἥ τε τάξις ὅση Ἐν τῷ τι λέγειν ἢ πράττειν ἐ. 3. Πέρας ἔτι κάλλους *Casaub. Porsoni emendatio e schedis ejus juvenilibus sumpta est: in margine exemplaris Edit. Schweigh. unde ceteræ hujus fragmenti emendationes petitæ sunt, ista non apparet.* 3. ἑώρακα *Cas.* 4. νῦν δ' *Cas.*

I. p. 17. A. καὶ κλήρου μὲν τὸν λαχόντα, στοχάζεσθαι ταύτης.

κλήρου μὲν ed. Turn. κλήρῳ μὲν fecit ipse Turnebus. κληρουμένον errore typothetæ, ut accentu liquet, dedit Aldus, pro κληρουμένων, quod recte servant MSS. et Eustathius ad Od. A. p. 1426, 22=68, 28. Sed quod hic addit, ἐκείνων, inutile est. Vide Valckenaerium ad Herodot. III. 128. (*R. H.*)

I. p. 18. C. Antiphanes:

Ἑφθὸν κομιδῆ πεποίηκεν, ἀποκναίσειεν ἂν
Κἂν ὁστισοῦν μου λαβόμενος τοῦ δέρματος.

vulgo πεποίηκ', et καὶ ὁστισοῦν.

Ibid. Hermippus:

Μὰ τὸν Δί', οὐ μέντοι μεθύειν τὸν ἄνδρα χρὴ
Τὸν ἀγαθόν.

Vulgo μὰ Δί' οὐ κ.τ.λ.

I. p. 20. B. προσέτι τε

Τὴν λαμπροτάτην πόλεων πασῶν, ὁπόσας ὁ Ζεὺς ἀναφαίνει,

τὰς Ἀθήνας λέγω. Comici alicujus anapæstus. Alios vide apud Eustath. ad Il. A. p. 877, 53=828, 6. qui sunt Hermippi.

I. p. 22. B. καὶ Ὅμηρος δὲ [ἢ τῶν Ὁμηριδῶν τις] ἐν τοῖς εἰς Ἀπόλλωνα, φησὶν, &c. τῶν τις Ὁμηριδῶν Eustath. ad Od. Θ. p. 1602, 25. (316, 47. Bas.) probante Casaubono, non item Valckenaerio ad Herodot. VIII. 91. sed τῶν τινὸς οἰκετῶν infra III. p. 108. D.

I. p. 22. D. Κλεόφαντον Θηβαῖον. Lege Κλεόλαν τὸν Θηβαῖον.

I. p. 22. F. Alcæus: Ἡ δ' ὥρη χαλεπή· πάντα δὲ διψᾷ ὑπὸ καύματος. *Ita Casaubonus.*
δι ὑπὸ καύματος ed. Ald. MS. b. πάντα δ' ἐδίψουν MS. a. *i. e.* Epitomes MS. olim Sedanensis, nunc Parisiensis. Lege vero διψᾶσ' ὑπὸ καύματος, et vide ad X. p. 430. B. (MS. b. est Parisiensis, HERMOLAI BARBARI manu exaratus.) (*R. H.*)

Ibid. Antiphanes: τὸ δὲ
Ζῆν εἰπέ μοι τί ἐστι; τὸ πιεῖν, φημ' ἐγώ.
Vulgo πίνειν.

I. p. 23. A. Antiphanes:

Τὰ δ' ἀντιτείνονθ', οἱονεὶ δίψαν τινὰ
Ἢ ξηρασίαν σχόντ', αὐτόπρεμν' ἀπόλλυται.

Vulgo δίψαν τινὰ, Ἢ ξηρασίαν ἔχοντ'. σχόντ' Grot. Gataker. Cave autem legas τιν' ἢ Ξηρασίαν σ. Ξηρασίαν secundam corripit, ut ὑγρασίαν Alexidis IX. p. 383. D. (*R. H.*)

I. p. 23. E. Theopompus:

μετὰ ταῦτ' ἐπίνομεν
Κατακείμενοι μαλακώτατ' ἐπὶ τρικλινίῳ.

vulgo ἐπίνομεν μετὰ ταῦτα. sed recte emendavit Toupius Cur. Posterior. in Theocrit. XV. 98.

Ibid. Alexis: μετὰ ταῦτ' ἀναπεσεῖν
Ἐκέλευον αὐτὴν παρ' ἐμέ.

Sotades VII. p. 293. C. ἐψητὸν δὲ μετὰ ταῦτ' ἐστὶ τί; [non ἐστιν. Confer Stratonem IX. p. 383. A.] Alexis III. p. 117. F.

I. p. 28. E. Alexis: Θασίοις καὶ Λεσβίοις οἰναρίοις. *Legit Pors.* Θ. οἰναρίοις καὶ Λεσβίοις *conferri jubens* II. p. 47. D.

Ibid. Alexis:

Ἡδύς γ' ὁ Βρόμιος τὴν ἀτέλειαν Λέσβιον
Ποιῶν τὸν οἶνον εἰσάγουσιν ἐνθάδε.
Ὃς ἂν εἰς ἑτέραν ληφθῇ δ' ἀποστέλλων πόλιν,
Κἂν κύαθον, ἱερὰν ἐγγράφων τὴν οὐσίαν.

vulg. Λεσβίου. *conj. Casaub.* Λεσβίοις. *Tertius versus vulgo legitur* ὃς δ' ἂν εἰς ἑτέραν ληφθῇ γ' ἀποστέλλων πόλιν. γ' omittunt MSS. lege igitur Ὃς ἂν εἰς ἑτέραν ληφθῇ δ' ἀ. π. Sic VI. p. 225. B. lege Ἔπειτ' ἐὰν τ. Ibid. E. μόλις δ' ἐάν ποτ'. XIV. p. 654. E. ἄνθρωπον δ' ἐάν τις. Hæc omnia ex MSS. VI. p. 226. B. cum γε desit in MSS. lege πωλῶν τινί (*pro* πωλῶν γε τὸν) V. p. 222. B. οἱ δ' ἑαυτοῖσι σοφοὶ (*pro* οἱ δέ γ' αὑτοῖσι.) Etiam XIV. p. 613. C. puto legendum Νυνὶ δὲ πρότερον τοῦ πόνου (*pro* πρότερόν γε τ. π.) ἂν δ' ἔρῃ MS. Soph. Œd. T. 759. ἂν λέγῃς δὲ Philoct. 756. Turn.

I. p. 29. C. Archestratus:

Πολλαῖς πρεσβεύων ἐτέων περικαλλέσιν ὥραις.

ubi vulgo legitur π. πρ. ἑτέρου οἴνου π. ὥ. ἑτέρου omitt. Casaub. dele οἴνου et lege ἐτέων. Apud Herodot. I. 32. ἑτέρων in textu, ἐτέων in m. *Arch.*

I. p. 29. D. Φοίνικος δὲ οἴνου μέμνηται καὶ Ἔφιππος, Κάρυα, ῥοιὰς, φοινίκια ἕτερα νωγαλίσματα κ. τ. λ.

Porsonus: Ἀντιφάνης. βότρυς· ῥοιάς· φοίνικας· ἕτερα νωγαλεύματα infra II. p. 47. D. νώγαλα Casaub. ex Eustathio ad Il. Σ. p. 1163, 25. μικρὰ addit post οἴνου ex Nostro II. p. 57. E. ῥοὰς Photius et νωταλαῖν, recte, si legis νωγαλαῖν.

I. p. 31. D. φησὶν οὖν, οἶνον δ' Οἰνουντιάδην, ἢ Δένθιν, ἢ Παρύστιον, ἢ Ὄνογλιν, ἢ Σταθμιταν, καὶ τὸν ἐκ Καρύστου, ὅς ἐστι πλησίον Ἀρκαδίας.

Not. Recte Casaubonus Καρύστιον, in ceteris aberrans. A Δένθιν sollicitando eum retraxit Hesychius. Δένθις. οἶνος. Λάκωνες. Ab Ὄνογλιν sollicitando retrahere debebat idem Hesychius. Ὀνίγλη. εἶδος οἴνου. Sed MS. rectius Ὀνίγλιν, accentu tantum male collocato. Utra scriptura rectior sit, per ι an ο, nescio. Deinde voces istæ, καὶ τὸν ἐκ Καρύστου, ὅς ἐστι πλησίον Ἀρκαδίας, transponendæ sunt post ἐρύματός τινος supra.

I. p. 31. F. ult. ἐπὶ χόας πεντήκοντα, *pro vulgato* περὶ τοὺς πεντήκοντα, *ex Turnebi, ut videtur, emendatione legit Porsonus, addens,*

Sed ut corruptelæ origo pateat, scribe $\overset{\pi}{\text{ἐ}}$χοῦς quod in π^ε τους facile mutari potuit: vide locum citatum ad III. p. 75. C. p. 102. C. (*R. H.*)

I. p. 32. B. μυρτίτης δὲ ἢ μυῤῥίνης οἶνος κεῖται παρὰ Ποσειδίππῳ,

Διψηρὸς ἄτοπος ὁ μυῤῥίνης ὁ τίμιος.

Sic in Editione Casaubonia legitur: in margine exemplaris quæ sequuntur notavit Porsonus:

Dubitatio ista orta est ex librariis aut Epitomæ confectore, non ab Athenæo, qui scripserat, μυρίνης δὲ οἶνος κεῖται παρὰ Ποσειδίππῳ, Διψηρὸς ἄτοπος ὁ μυρίνης ὁ τίμιος. Recte etiam Pollux μυρίνης VI. 17. Rem conficit Di-

philus apud Nostrum IV. p. 132. E. Χαριεῖ πολὺ μᾶλλον ἢ μυρίνην προσεγχέας. Nihil expedit Perizonius ad Ælian. V. H. XII. 31. (*H. D.*)

I. p. 32. C. In primo versu lege Ἦν ἄρ' pro Ἦ γὰρ ἔπος τόδ' ἀληθές. (*R. H.*)

Præter emendationes in Librum Primum modo memoratas, sequentia in margine editionis Schweigh. correxit Porsonus.

p. 3. F. 1. Χῖον *pro* Χίου.

p. 4. A. 1. *Indicat Stob. p.* 885.

p. 4. E. 2. ἐκγραψάμενος *pro* ἐγγραψάμενος.

Ibid. 6. Παχυνικῶν θύννων *pro* Παχύνου θ.

p. 4. F. 1. εἴκοσιν *pro* εἴκοσι.

p. 5. C. 4. Ἡ ψωλή, δέμας ἐστί. *Hemistichium quod e MSS. addiderat Schweigh. delevit Porsonus.*

p. 6. A. 6. ὀψόπωλιν Suid. *pro* ὀψοπωλίαν.

p. 6. B. 1. δειπνήσεις; *pro* δειπνεῖς;

p. 6. F. 4. τὴν παρακειμένην αὐτῷ *pro* τὴν παρ' αὐτῷ.

p. 9. A. 8. τοὺς ἀριστεῖς *pro* τοὺς ἀρίστους.

p. 10. E. 9. ταῖς ἡδόναις ἐπακολουθήσαντας *pro* παρακολουθήσαντας.

p. 10. F. 6. τοῦ πώματος MS. b. *pro* τοῦ πόματος.

p. 11. D. 9. χἀκατοντάρχας *pro* καὶ ἑκατοντάρχας.

p. 14. D. 1. βούλησιν *pro* βουλήν.

Ibid. 8. κυβιστητήρων *pro* κυβιστήρων.

p. 14. F. 3. φούλλικλον *pro* φουάλικλον.

Lib. II. p. 35. D. Diphilus:

Ὃς τὸν τάπεινον μέγα φρονεῖν ποιεῖς μόνος.

vulgo ὅταν—ποιῇς.

II. p. 35. E. Χαιρήμων δὲ ὁ Τραγῳδὸς κ.τ.λ. Vide infra XIII. p. 562. E.

II. p. 36. B. Mnesitheus:

Τοῖς μὲν μέτριον πίνουσι καὶ κεκραμένον,
Εὐθυμίαν φέρει γ'· ἐὰν δ' ὑπερβάλῃς,
Ὕβριν· ἢν δ' ἴσον ἴσῳ προσφέρῃς, μανίαν ποιεῖ.
Ἐὰν δ' ἄκρατον, παράλυσιν τῶν σωμάτων.

Qui versus in Editione Casauboniana metro violato ita leguntur; Εὐθυμίαν φέρει γ'· ἐὰν δ' ὑπερβάλῃς ὕβριν. Ἐὰν δ' ἶσον ἴσῳ προσφέρῃ, μανίαν ποιεῖ. Ἂν δ' ἄκρατον, παράλυσιν τῶν γε σωμάτων.

II. p. 36. C. Eubulus:

Ὃν εἰσπιόντες οἱ σοφοὶ κεκλημένοι.

ita vulgo. ἐκπιόντες, *ut videtur, legebat Porsonus, cum hoc inter exempla confusorum* K *et* IC *adducit.*

II. p. 36. E. Alexis: ut vulgo legitur,

Ὁμοιότατος ἄνθρωπος οἴνῳ τὴν φύσιν
Τρόπον τίν' ἐστιν. τὸν γὰρ οἶνον τὸν νέον
Πολλή γ' ἀνάγκη καὶ τὸν ἄνδρ' ἀποζέσαι·
Πρώτιστον ἀφυβρίσαι κ' ἀπανθῆσαι· πάλιν,
Σκληρὸν γενέσθαι.

Melius ὁμοιότατον Stobæus CXIV. p. 585. Gesn. CXVI. p. 475. Grot. ubi MS. A. καὶ γὰρ οἶνον. deinde lege, ope Stobæi, cum Valckenaerio ad Herodot. IX. 31. ἀφυβρίσαι τ' ἀπανθήσαντα δὲ Σκληρὸν γενέσθαι. Sequentia usque ad πότιμον γενέσθαι omisit Stobæi, ut puto, librarius.

II. p. 42. A. *In Aldina legitur,* καθὰ τὸν ἐν Κιθαιρῶνι. παρ' ᾧ Ζηνὸς Ποσειδῶνος ἱερόν ἐστιν.

Not. Lege καθὰ τὸν ἐν Καρίᾳ, παρ' ᾧ Ζηνοποσειδῶνος ἱερόν ἐστιν. Vide VIII. p. 337. D.

II. p. 43. B. et III. p. 74. E. Antiphanes:

οἷα δ' ἡ χώρα φέρει
Διαφέροντα τῆς ἁπάσης, Ἱππόνικ', οἰκουμένης.

Vulgo, διαφέροντα πάσης Ἱππόνικε τῆς οἰκουμένης.

Mox corrigit Porsonus,

——βοσκήματ', ἔρια, μύρτα, θυμιάματα.
——ὕδωρ δὲ διαφέρον,
Ὥστε καὶ γνοίην ἂν εὐθὺς Ἀττικὸν πίνων ὕδωρ.

ubi vulgo θύματα —δὲ *omiss.*—ὕδωρ πίνων.

II. p. 44. C. οὐδενὸς ἧττον διακεῖσθαι σώμασιν ἐρρωμενεστέρους. *Not.* ἐρρωμένους Eustath. ad Il. I. p. 916, 47=881, 33.

II. p. 47. D. Araros Campylione: vid. III. p. 86. D.

II. p. 49. C. Antiphanes:

Ἐπεὶ δ' ὁ τρίπους ἤρθη κατὰ χειρῶν τ' εἴχομεν.

κατὰ χειρῶν ἐχέομεν (sine τ') Eustath. ad Il. I. p. 740, 16=635, 50.

II. p. 49. D. Aristophanes: τράπεζαν ἡμῖν φέρε, Τρεῖς πόδας ἔχουσαν. Lege τρ. ἡ. εἴσφερε, et refer ad Telmissenses, Fragm. 4. p. 271. ed. Brunck.

II. p. 49. F. Alexis: ἑώρακας πώποτε ἤνυστρον— *Not.* πώποτε Eustathius quoque ad Il. B. p. 160, 4.

II. p. 50. F. Amphis:

Ὁ συκάμινος συκάμιν', ὁρᾷς, φέρει,
Ὁ πρίνος ἀκύλους, ὁ κομάρος μιμαίκυλα.

Adde ex Polluce I. 233. Ἡ κρανία μέσπιλα. (*H. D.*)

II. p. 51. D. Ἐν δὲ Κρήσσαις καὶ κατὰ τῆς βάτου.

Lege καὶ τὰ τῆς βάτου ex Eustathio ad Il. p. 835, 11 = 769, 5. ubi in sequente Sophoclis Fragmento στρογγύλον pro γογγύλον.

II. p. 52. C. Phrynichus:

Τοὺς γομφίους δ' ἅπαντας ἐξέκοψεν, ὥστε νυνὶ
Οὐκ ἂν δυναίμην Ναξίαν ἀμυγδάλην κατάξαι.

aliter Toup. in Suid. I. p. 25.

II. p. 52. F. καὶ Ἀντίλοχος,
Ῥοδῆς τε καλὸν ἄνθος.

Lege Ἀρχίλοχος. vid. Ruhnk. ad Paterc. I. 5. Valcken. Animadv. ad Ammon. III. 11. p. 204. (*H. D.*)

II. p. 55. B. *Porsonus in Appendice ad Toup.* IV. *p.* 502. "In Alexide Athenæi II. p. 55. B. εὕρημα in εὑρήματα mutandum est, non in εὕρεμα, verbum Atticis incognitum, cum Grotio Excerpt. p. 599. unde futile contra Thomam Magistrum argumentum duxerunt Viri eruditi. Bis autem peccavit Vir summus, primum quod εὕρεμα contra Atticismi normam admiserit, deinde quod ad incertas fabulas hocce fragmentum rettulerit, cum ad Olynthium sive Olynthios referendum ex Athenæo III. p. 75. B. discere potuisset."

II. p. 56. D. Teleclides:

ξυγγενέσθαι διὰ χρόνου μ' ἐλιπάρει.

Ita Porsonus. Vulgo λιπαρεῖτό με.

II. p. 58. A. Ephippus, qui plenius citatur XV. p. 642. E.

Χόνδρος [1] μετὰ ταῦτ' εἰσῆλθε, μύρον Αἰγύπτιον,
Φοινικίου βῖκος τις [2] ὑπανεῴγνυτο,
Ἴτρια, [3] τραγήματα θ' ἧκε, πυραμοῦς, ἄμης,
Ὠῶν [4] ἑκατόμβη, πάντα ταῦτ' ἐχναύομεν,
Ἐμασώμεθ' οὕτως ἀνδρικῶς, ὅσ' εἴχομεν.

1. vulgo *μετά τ' εἰσῆλθεν.* ΜΕΤΑ ΤΑΥΤΑ ut Eubulus p. 300. C. p. 302. D.

2. I. p. 29. D. *ὑπανεῴγνυται* male.

3. vulgo *τραγήματα θῆκε.* Veram lectionem mireris non vidisse Valckenaerium ad Eurip. Phœn. 196. p. 66.

4. Ut recte Valckenaerius ad Eur. Phœn. 28.

Ibid. Nicomachus: *οὐσίδιον* recte: male *οὐσείδιον* ed. Casaub.

II. p. 58. B. *Porsonus ad Euripidis Medeam.* *v.* 139. 140. X. "In Athenæi libro secundo p. 58. B. *χηνείων δ' ᾠῶν* Ἔριφος·

ᾠὰ λευκά γε
Καὶ μέγαλα· χήνει' ἐστὶν, ὥς γε μοι δοκεῖ·
Οὗτος δέ φησι ταῦτα τὴν Λήδαν τεκεῖν.

Ultimus versus in impressis pro Athenæi verbis legitur."

II. p. 58. D. Antiphanes:

τρώγοντες μολόχης ῥίζαν.

καὶ πάλιν,

πρᾳότερος ἔγωγε μολόχης.

Ita hunc locum legisse Porsonum patet ex Nota ad Hecub. 1161. *ed.* 3*tiæ.* *Vulgo* Καὶ Ἐπίχαρμος, *πραΰτερος ἔγ. μ.* *Libet ipsius verba subjicere.* "Duo loca ex Athenæi Epitome II. p. 58. D. citat Eustathius ad Odyss. A. p. 1406, 58 = 41, 40. *Τρώγοντες μολόχης ῥίζαν καὶ * πάμα, πρᾳότερος ἔγωγε μολόχης.* Sic bene ed. Rom. nam Bas. mendose *πρότερος.* Koenius ad Gregor. p. 215. ex Athenæo violenter corrigit *καὶ Ἐπίχαρμος.* Sed et Antiphanis nomen modo omiserat Eustathius, et millies alias scriptorum nomina supprimit. Notum est *λι* et *λυ* ita in MSS. exarari, ut facillime pro *μ* capi

possint. Scripserat Eustathii librarius παλῑ, quod πάλιν significat. Linea enim superducta, si vocalis præcedit, ponitur pro ν, si consonans, pro α. Ergo librarius si pro λι per errorem μ scripsit, consequitur ut errare pergat, et scribat πάμα."

II. p. 60. E. Antiphanes:

Ἐγώ γ' ἂν, εἰ τῶν ὑμετέρων φάγοιμί τι.

Vulgo ἐγὼ γὰρ ἄν τι τῶν ὑμετέρων φάγοιμι.

II. p. 60. F. Epicharmus: οἱ μύκαις ἄρα Ἐσκληκότες. *Ita Porson. Vulgo* αἱ μύκαι ἄρ' ἐπεσκληκότες.

II. p. 62. E. μῆκος δὲ ποδῶν δώδεκα. Pro ποδῶν, πηχῶν Stephan. Byz. v. Γαιτοῦλοι. (*H. D.*)

II. p. 62. F. Sophocles Ἰχνευταῖς·

Κἀξορμενίζει, κοὐκ ἐπισχολάζεται.

κἀξορμενίζειν οὐκ Eustathius ad Il. M. p. 857, 14.

II. p. 63. A. Antiphanes: *Vulgo* Ἀσπάραγος ἠγλάϊζεν· *emendavit Porson.* ἐπηγλαΐζετ'. *citans p.* 65. *C.*

Ibid. Philyllius:

Οὐκ εἰμὶ τέττιξ, οὐδὲ κοχλίας, ὦ γύναι.

Omittitur in Editionibus ὦ.

II. p. 65. D. Nicostratus vel Philetærus. Similia habent Eubulus VII. p. 311. D. Philippus VIII. p. 359. A. Lege et distingue,

τί οὖν ἀγοράζω; φράζε γάρ,
Μὴ πολυτελῶς, ἀλλὰ καθαρείως· δασύποδα,
Ἐὰν περιτύχῃς, ἀγόρασον, καὶ νηττία
Ὅποσα σὺ βούλει, καὶ κίχλας, καὶ κοψίχους·
Ὀρνιθίων τε τῶν ἀγρίων τούτων συχνά·
Χαρίεν γάρ.

MSS. habent καθαρείως, et addunt γὰρ, teste Casaubono.

II. p. 66. F. *In Alexidis versu* Σαμιακοῦ *pro* Σαμικοῦ, *et in Orphelionis* ἀλείφεται *pro* ἀλείφετο *Porson.*

II. p. 67. F. πολλοὶ δὲ σάκκοι καὶ θύλακοι βιβλίων, κ.τ.λ. θύλακες ex MS. Paris. Ruhnken. ad Callimach. fr. 360. et ad Longin. §. 43. βόλβων Toup. (*H. D.*)

II. p. 68. A. *Vulgo,* Κρατῖνος Γλαύκῳ

Οὐ πρὸς παντός ἐστιν ἀρτύσαι καλῶς.

Γλαῦκον MSS. Lege igitur

Γλαῦκον οὐ πρὸς παντὸς ἀνδρός ἐστιν ἀρτῦσαι καλῶς. (*H. D.*)

II. p. 68. C. θηλυκῶς δὲ Πλάτων ἢ Κάνθαρος·

Ἦ 'ξ Ἀρκαδίας τοι δριμυτάτην ὀρίγανον.

Sic lego pro ἢ ἐξ Ἀρκαδίας οὕτω δριμυτάτην ὀρίγανον.

Ibid. Plato Λαΐῳ. *Legit et supplet Porsonus,*

οὐκ ὁρᾷς ὅτι

Ὁ Μελέαγρος Γλαύκωνος ὢν μεγάλου γένους
[Λαμπροῦ τε] κόκκυξ ἠλίθιος περιέρχεται,
Σικύου πέπονος εὐνουχίου κνήμας ἔχων.

II. p. 68. D. Theopompus: μαλακωτέρα πέπονος καὶ σικυοῦ μοι γέγονε. *Sic Ed. Cas. Porsonus vero,* Dele καὶ, et lege μαλθακωτέρα auctore Eustathio ad Il. B. p. 160, 3. ed. Bas. καὶ omittit Ald. (*H. D.*)

II. p. 69. D. Eubulus:

Μὴ παρατίθει μοι τὰς θριδακίνας, ὦ γύναι.

Articulus vulgo male omittitur.

Postea, sententia mutata, aliter hunc versum tractavit Vir summus,

Lege, Μή νυν παρατίθει. Primam in θριδακινὶς corripit Nicander Theriac. 838. (*R. H.*)

Lib. III. p. 75. C. lin. 3. Pro Ἀντιφάνης, lege Ἀπολλοφάνης, ut XI. p. 487. E. Hesych. v. Θεοὶ ξενικοί.

Deinde sic versus dividit Porsonus,

Τῶν μυῤῥινῶν ἐπὶ τὴν τράπεζαν βούλομαι,
Ἃς διαμασῶμ᾽, ὅταν τι βουλεύειν δέῃ.

Vulgo βούλομ᾽ ἅς.

III. p. 75. D. Epigenes. Ἐπιγένης pro Περιγένης legendum in Hesychio v. Διαπίνειν. (*R. H.*)

Εἶτ᾽ ἔρχεται χελιδονίων μετ᾽ ὀλίγον
Σκληρῶν ἁδρὸς πινακίσκος.

Ita vulgo. Correxit Porsonus χελιδονείων. (*H. D.*)

III. p. 76. D. Sophocles Helenæ Nuptiis:

Πέπων δ᾽ ἔρινος ὣς ἀχρεῖος αὐτὸς ὢν
Εἰς βρῶσιν, ἄλλους ἐξερινάζεις λόγῳ.

Vulgo πέπων δ᾽ ἔρινος ἀχρεῖος ὤν. αὐτὸς supplevit Casaub.

III. p. 77. D. Antiphanes:

Ἔστι γὰρ παρ᾽ αὐτὴν τὴν δίφορον συκῆν κάτω.

Dele γάρ, ut infra VI. p. 238. A. ὅρα, παράσιτός ἐστιν.

III. p. 78. D. Pherecrates: ἢν δ᾽ ἴδῃ
Συκῶν τις ἡμῶν διὰ χρόνου νέον ποτὲ,
Τὼ ᾽φθαλμιδίω περιμάττομέν γε τουτῳῒ
Τῶν παιδίων.

Vulgo, ἴδῃ—Τῷ ᾽φθαλμῷ—τοῦτο. correxit Casaubonus Τὼ ᾽φθαλμὼ—τούτῳ.

III. p. 84. E. καὶ ἔδει αὐτοὺς ἅπασι τοῖς ζώοις παραβληθῆναι.

ἀποσίτοις τοῖς ζώοις Valckenaer. apud Koen. ad Gregorium p. 251. forte melius sine τοῖς. (*H. D.*)

III. p. 86. A. Epicharmus Προμηθεῖ πυρκαεῖ,

Καὶ τελλίναν, κἀναρίταν θᾶσαι δὴ καὶ λέπας ὅσσα.

Vulgo, ὁ Ἐπίχαρμος ἐν Πύῤῥᾳ καὶ Προμαθεῖ φησὶ, Κᾄν τις Ἑλλήνων τὸν ἀνδρί τ' ἂν θᾶσαι δὴ καὶ λέπας ὅσσα.

III. p. 87. A. Aristonymus: *Vulgo legitur*, Κόγχος ἦν βάπτων ἄλλων ὁμοίως. παραπλησίως δ' εἴρηκε κ.τ.λ. *Porsonus autem*,

Κόγκος ἦν βαπτῶν ἁλῶν. Παραπλησίως δ' εἴρηκε καὶ Φρύνιχος Σατύροις. Delevi ὁμοίως utpote natum e παραπλησίως. Plato Euthyphr. c. 6. in MS. Clark. κατὰ τὴν ὁσιότητα (sic MS.) ubi Schol. ἀντὶ τοῦ ὁμοίως παραπλησίως τῇ ὁσιότητι. Aut legere possis ὁμοίως δ' ἢ (sive δὲ καὶ) παραπλησίως, ut in Demosthenis Olynth. p. 25. pen. Ed. Par. 36, 1. Reisk. ὅμοια ἢ παραπλήσια de Fals. Leg. p. 211, 26. 361, 7. 265, 17. 439, 20. (*R. H.*)

III. p. 87. F. Posidippus:

Ὥρα περαίνειν ἐγχέλα, καὶ καράβους.

Ita Ed. Casaub. male. καὶ omittit Ed. Ald. et proculdubio MS. Ven. Lege ergo ἐγχέλεια, καράβους.

III. p. 91. C. *Gaisford. ad Hephæst. p. 265. de Versu Ithyphallico: " Vetustissimum, quod nunc quidem extat, hujus metri fragmentum, judice et emendante Porsono, Aristophanis est apud Athenæum* III. *p.* 91. *C.*

Δάπτοντα, μυστίλλοντα, διαλείχοντά μου
Τὸν κάτω σπαταγγήν.

Libri habent δαρδάπτοντα. *Simile mendum e Babrii loco apud Suidam v.* δάπτω, *MS. C.C.C. auctoritate eluit vir idem doctissimus*, καὶ σπλάγχνα δάπτων. (*cf. Suid. v.* Πανθοίνην.)"

III. p. 94. E. Sophocles Amyco:

Σιαγόνας τε μαλθακὰς τίθησι δή.

non, ut vulgo, σιαγόνας τε δὴ μαλθακὰς τίθησι.

III. p. 98. F. Antiphanes:

τὸ δὲ τυραννεῖν ἐστιν, ἢ
Τί δήποτε τὸ σπουδαῖον, ἀκολουθεῖν, ἔρις,
Ἐν τῷ Λυκείῳ μετὰ σοφιστῶν, ἢ δια-
λέπτων, ἄσιτων συκίνων.

pro ἔρις lege ἐρεῖς. Deinde νὴ Δία pro ἢ δία- recte Casaub. ut infra XIII. p. 565. F. ubi et σκυτίνων.

III. p. 99. F. Cratinus:

Ἦσθε πανημέριοι χορταζόμενοι γάλα λευκόν.

ἦσθε cum spiritu recte Priscianus XVIII. p. 1214, 25. Vide Schol. ad Aristoph. Vesp. 708. *Confer Gaisford. ad Hephæst. p.* 272.

Ibid. Sophocles Tyroe:

Σίτοισι παγχόρτοισιν ἐξενίζομεν.

vulgo οἳ τοῖσι. Casaub. Heath. ὃν τοῖσι.

III. p. 100. A. Amphis: εἰς τὴν ἑσπέραν
Χορταζόμενος ἅπασιν ἀγαθοῖς.

ubi vulgo χορταζόμενα πᾶσιν ἀ. Vel potius, ne litera mutetur, εἰς τὴν ἑσπέραν χορτάζομεν
Ἅπασιν ἀγαθοῖς.

Mox aliam hujus loci correctionem protulit Porsonus,

εἰς τὴν ἑσπέραν
Χορταζόμεσθα πᾶσιν ἀγαθοῖς.

III. p. 102. C. Demoxenus Συντρόφοις,

Ποῖός τ' ἐπὶ δύσιν Πλειάδων συνειδέναι
Ἰχθὺς, ὑπὸ τροπάς τ' ἐστι χρησιμώτατος·

Αἱ μεταβολαὶ γὰρ αἵ τε κινήσεις κακὸν
Ἠλίβατον ἀνθρώποισιν, ἀλλοίωμά τε.

Vulgo *ποῖος ἐπὶ δύσιν Πλειάδος.* sed *περὶ* pro *ἐπὶ* MS. Ven. *Πλειάδων* recte MSS. In versu sequenti vulgo legitur *ὑπὸ τροπάς ἐστι,* et mox *Ἠλίβατον ἐν ἀνθρώποισιν· ἀλλοιώματα.*

Ibid. Demoxenus: *τοιγαροῦν στρόφοι,*
Καὶ πνευμάτια γιγνόμενα τὸν κεκλημένον
Ἀσχημονεῖν ποιοῦσι·

Ita H. Stephanus Thes. T. III. p. 408. E.

III. p. 102. E. Demoxenus: *ἡ δ' ἀπειρία*
Τῶν νῦν μαγείρων κατανοεῖ, πρὸς τῶν θεῶν,
Οἷα 'στιν.

Vulgo *οἷαν τιν'.* male Casaubonus *οἷ' ἐστιν.*

III. p. 103. C. Plato Comicus:
Ἀπολώλεκας τὸ μειράκιόν μου παραλαβών.

Vulgo *Ἀπολώλεκάς μου τὸ μειράκιον παραλαβών.*

III. p. 103. E. Plato Comicus:
Καὶ τὴν κεφάλην ζητοῦσιν ὥσπερ πράγματος.

Vulgo *ὡς περὶ πράγματος.*

Ibid. Antiphanes: *ὅστις ἄνθρωπος γεγὼς*
Ἀσφαλές τι κτῆμ' ὑπάρχειν τῷ βίῳ λογίζεται.
Πλεῖστον ἡμάρτηκεν.

γεγὼς supplet Valck. ad Phœniss. 1282. De ceteris vide Dawes. Misc. Crit. p. 323. Mox,

Οὐ βέβαιον οὐδέν ἐστι, πλὴν ὅσ' ἂν καθ' ἡμέραν
Εἰς ἑαυτον ἡδέως τις εἰσαναλίσκειν τύχῃ.

Vulgo πλὴν ὃ ἂν—τύχοι.

III. p. 104. B. XV. 3. p. 671. C. Theognetus:

Ἀνέστροφέν σου τὸν βίον τὰ βίβλια.

Vulgo ἀντέστροφεν. Alciphro II. 2. p. 220. κατάκρας ἡ καρδία μου ἀνέστραπται. ut lego pro καὶ τὰ ἄκρα καὶ ἡ καρδία—non obstantibus quæ congessit Dorvillius ad Chariton. p. 327.

Ibid. Theognetus:

Ἐρεῖς ἀλλότριον ἔσθ' ὁ πλοῦτος ἀνθρώπῳ πάχνης;

Ita vulgo. Ἐρεῖς *deleri jubet Porsonus.* (*H. D.*)

III. p. 104. E. *Porson. Not. ad Hec.* 1161. *ed. 3tiæ.* "Neque est quod quis arbitretur eo pronomen spurium esse, quod locum mutat. Extat Aristophanis fragmentum e Thesmophoriazusis alteris apud Athen. III. p. 104. E. Ἰχθῦς τις ἐώνηται, ἢ σηπίδιον, Ἢ τῶν πλατειῶν καρίδων, ἢ πουλύπους; Primus versus sic citatur VII. p. 324. B. Ἰχθῦς ἐώνηταί τις. Num et ibi spurium est τις, quod locum mutat? In primo versu male Ἰχθῦς pro singulari capit Brunckius, in secundo non melius τις ante καρίδων interpolat. Κάριδος enim interdum quidem secundam corripit, semper vero primam producit."

III. p. 104. F. Aristophanes Thesmoph. 2dis:

Ἢ νῆστις ὀπτᾶτ', ἢ γαλεὸς ἢ τευθίδες;
Μὰ τὸν Δί' οὐ δῆτ'· Οὐχὶ βάτις; Οὐ φήμ' ἐγώ.
Οὐ χόριον, οὐδὲ πυὸς,—

Vulgo Μὰ τὸν Δί' οὐ δῆτ' οὐ καὶ βάτις, οὐδὲ φήμ' ἐγώ. Οὐδὲ χόριον——

III. p. 105. A. Archestratus:

Ἀλλὰ παρεὶς λῆρον πολὺν, ἀστακὸν ὠνοῦ.

πολυώνυμον Valckenaer. ad Herodot. VII. 5. (*H. D.*)

Ibid. Epicharmus:

Ἐντὶ δ' ἀστακοὶ, κολύβδαιναί τε, χ'ὅς τὰ ποδί' ἔχει
Μικρὰ, τὰς χεῖρας δὲ μακρὰς, κάραβος δὲ τὤνομα.

Aldus κολύβδαιναί τ' ἐχόσαι ποδία. Casaubon. ἔχουσαι ποδία. sed MS. Ven. ἐχοστα ποδι ἔχει. De elisione confer κὄστρεια supra III. p. 87. A. Æschylus: Κόγχοι, μύες, κὄστρεια.

III. p. 105. F. Araros:

Καρῖδες ἐξήλλοντο δελφίνων δίκην.

Eustath. ad Il. Φ. p. 1220, 52=1301, 52.

III. p. 106. A. Anaxandrides Κερκίῳ· Ἐρυθρώτερον καρῖδος ὀπτῶν σ' ἀποφανῶ. Κερκύονι Reines. Defens. Var. Lect. p. 72. ὀπτῆς Eustath. et ἐρυθρότερον.

III. p. 106. E. Epicharmus: διὰ τούτων εἴρηκεν,

ἀφύας τε, κωρίδας τε καμπύλας.

διὰ τοῦ ω Koen. ad Gregorium p. 307. (*H. D.*)

III. p. 106. F. Epicharmus: καὶ τὸν ἄρτον ἐπικάμψας ἐπιπλόῳ. Vide annon ἐπικαλύψας rescribendum sit pro ἐπικάμψας, in locis Epicharmi et Ionis apud Athen. III. p. 106. F. p. 107. A. nihil ad rem sunt quæ notavit Casaubonus Animadv. IV. 8. p. 226.

III. p. 107. B. Alexis:

Πρῶτα μὲν ἰδὼν ὀστρεῖα παρὰ Νηρεῖ τινὶ,
Γέροντι φυκίοισιν ἠμφιεσμένῳ,
Ἔλαβον ἐχίνους τ'.

Vulgo legitur πρῶτον μὲν ὄστρεα παρὰ Νηρεῖ τινὶ ἰδών.

III. p. 107. C. D. *Vulgo*

Κρεάδια, ποδάρια, ῥύγκη τινὰ, ὠτάρια,
Ὕειον ἡπάτιον ἐγκεκαλυμμένον,

Αἰσχύνεται γὰρ πελιδνὸν τῷ χρώματι.

Forsan

Ῥύγχη, ποδάρι', ὠτάρια τινὰ, κρεάδια,
Ὕειον ἡπάτειον—

πελιδνὸν ὂν Bergler. ad Alciphron. I. 20. p. 76. Pierson. ad Mœrin. p. 325. Koen. ad Gregor. p. 133. Sed et legendum πελιτνόν. (*H. D.*)

III. p. 107. F. Alexis: In Ed. Casaub. Αἰσχυνόμενον ἧπαρ, καὶ καπρίσκους καταφαγοῦ. καὶ πρίσκους ed. Ald. MS. Ven. Lege

Αἰσχυνόμενον ἧπαρ καπρίσκου σκατοφάγου.

